
HISTORIA FLAGELLANTIUM. DE RECTO ET PERVERSO FLAGRORUM...

Jacques Boileau, Josè Maria Fonseca de Evora, ...




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
41 F
50



HISTORIA FLAGELLANTIUM.

DE RECTO ET PERVERSO FLAGRORUM USU APUD CHRISTIANOS.

Ex antiquis Scripturæ, Patrum, Pontificum, Conciliorum, & Scriptorum Profanorum monumentis cum curâ & fide expressa.





PARISIIS,
Apud JOANNEM ANISSON Typographiæ Regiæ Præfectum.


M DCC.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

S. CLEMENS ALEXAND.
Lib. 1. Strom. 203. litt. D.

Οὐκ οἶμαι γάρ τινα οὕτως εὐτυχῆ γραφὴν ἡγεῖσθαι, ἣ μηδεὶς ἀντερεῖ· ἀλλ' ἐκείνην εὔλογον νομιστέον ἣ μηδεὶς εὐλόγως ἀντερεῖ.

Nullam exiſtimo lucubrationem ceû ſcriptionem adeò feliciter & fortunatè procedere, ut nullus ei contradicat : illam verò eſſe rationi conformem puto, cui nullus rationabiliter contradicat.



PRÆLOQUIUM
ad Lectorem.

NON paucis ab hinc annis ſcripſit auctor quam præ manibus habes, Lector, Flagellantium Hiſtoriam, dùm in acie antiquiſſimæ Galliarum Eccleſiæ cui nomen dederat verſaretur: in quâ veteres ritus pœnitentiæ publicæ & ſeverioris vitæ, curâ incredibili Paſtores & Præſules virtute ac ſcientiâ perilluſtres ſpatio quin-

quaginta annorum continuatâ serie efformaverant & florentissimos reliquerant. Quid tum? ais, Lector carissime. Ex his respondere tibi facile est, tàm alienam & abhorrentem ab omni remissione morum & relaxatione mentem habuisse necesse esse historicum, quàm vexationi carnis & libidinis correctioni propitiam, qui nihil veri dicere timeat, nihil falsi dicere audeat. Occasionem scribendi variæ discrepantesque sententiæ

doctorum virorum prodiderunt, de usu & abusu *disciplinæ*, ceû flagellationis sursùm deorsùmquè perfectæ, spontè ac propriâ manu inflictæ, quos in partem solicitudinis spiritu consilii & fortitudinis excitaverant Pontifices μεγαλόνυμοι, nec sacerdotiorum pinguiorum spe inescaverant. Verùm enimverò quis non obstupescat dubius, ancepsque non consistat, cùm viderit inter sanæ mentis homines reperiri ingenii adeò pla-

goſi & cordis aſperati, ut in horrido vapulantium ornatu, de corio ſuo ludere potius quam piè & religioſè agere videantur. Hanc materiam non parùm ſalebroſam, primâ fronte ſermone caſtigato expolire arduum & difficile viſum eſt, verbiſque adeò puris & caſtis exprimere omni laſciviâ & obſcænitate liberis. Verumtamèn cùm res ſerias ſalibus Plautinis condire ratio vetet, & luſibus comicis tragicam perſonam inducere, quo-

ad ejus fieri potuit casta & castigata oratione, hanc Flagellantium historiam lectoribus piis eruditis, castis & non aliis, auctor offerre non destitit; immò publici juris facere reipublicæ christianæ munus & oportunum & conducibile reputavit. Attamen rotundè fateri necesse est hanc materiam visam non esse rotulâ theologicâ tornandam, aut serrâ reciprocandam, quippè tot vepribus & salebris antiquitatis profanæ, Græ-

cæ & Latinæ circunſeptam, tot fodinis obſcuris & lapidicinis grammaticis reconditam : ut potius ad artem criticam pertinere, quam ſcientiam ſublimem eminentiſſimæ Theologiæ cenſeretur. Eâ de cauſâ tantulum opus de recto ceû perverſo flagrorum uſu apud chriſtianos, jam prodit, relictis, non poſtpoſitis, virorum theologorum elogiis aut approbationibus, cùm inſuper magni & puriſſimi Theologi Joannis Gerſo-

nii cancellarii Academiæ Parif. & Ecclefiæ, tuendam fententiam auctor unicè & fingulariter receperit. Eandem caufam non infeliciùs defendiffe præfumere nihil vetat, illuftres monaftici ritus afcetas Joannem, fcilicet, ab Ingen cartufianum & Hermannum à Schildis ordinis fancti Auguftini Theologum, de quibus mentionem honorificam facit hæc lucubratio; quorùm opera inventu difficilia ad notitiam noftram integra pervenire non-

dum potuerunt. Ut cumque res ſint ex hujus libri capitum inſcriptione & ſingulari materiâ nocturna manu verſatâ & diurnâ, dubitandi locus non relinquitur ex lectione hujus operis virorum piorum & literatorum jucundiſſimâ voluptate mentes expletum iri, ob varios & diſcrepantes caſus, quibus iſtiuſmodi hiſtoria, quocumque ſtylo ſcripta, delectat ac res flagellatoria aceto vepribuſque aliundè aſperata & non tractabilis ſcatet &

circumsepta est. De cætero causas operis publici juris facti ex primo capite abundanter perspicies, postquam menda typographica, tenuissima quidem, bene temperatâ scalpello crenâ styli emendaveris hîc subjecta. Vale.

Pagina 27. linea 16. scribe ע loco צ. lin. 17. *percutiet.* p. 38. lin 17. ὑπωπιάζω. p. 61. lin. ult. *pœnam.* p. 96. lin. 3. *sancto.* p. 72. *quot annis.* p. 183. & 187. lin. 4. & 6. *femora.* p. 186. lin. 11. *monasterii.* p. 110. lin. 10. *spontaneæ.* p. 212. lin. 12. *receptam.* p. 243. lin. 17. *Niconem.*

S. HIERONYMUS

Epiſtolâ LXV. Pammachio & Oceano de erroribus Origenis.

Cur poſt quadringentos annos (*ſive* M.XLVII. *aut* MLVI.) docere nos niteris quod ante neſcivimus? cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Uſque ad hanc diem ſine hac doctrinâ mundus Chriſtianus fuit.

INDEX CAPITUM.



HIS-



HISTORIA FLAGELLANTIUM.

CAPUT I.

Instituti Operis ratio. Carnem macerare ad reprimendas cupiditates pium ac sanctum est. Usum flagellationum unà cum aliis carnis attenuationibus factarum reprehendere non est animus, sed earum divisim & solitariè sumptarum perversum usum, postpositis aliis carnis vexationibus, ostendere.

INSTITUENTI mihi scribere & mandare huic libro ortum & progres-

ſum flagellationum, quibus gens Chriſtiana antiquo ritu abuti aut uti ſolet: pertimeſcendum maximè videtur eſſe; ne in errorem hominum Proteſtantium, qui Lutheranæ aut Calvinianæ ſuperſtitioni nomen dederunt, temerè videar incurrere. Enimverò ſub ſpecie obtemperationis legi divinæ præcipienti Iſraëlitis, ne inciderent ſuper mortuo carnes ſuas, Levitici xix. 28. & Deuteronomii xiv. 1. omnes pœnitendi leges violant, ipſamque vexandæ libidinis virtutem prorsùs extingunt aut infirmant, pœnaſque ſugillant, quas ut à nobis repetamus autor eſt Tertullia-

nus, non ſolùm ad peccatorum veniam comparandam, verùm etiam Deo jubenti, & pœnitendi dolorem imponenti obtemperandum. Abſit igitur hoc à ſcribendi genere malum, ut adversùs corporis auſteritatem ſtylum meum exerceam, aut in varias ac diſcrepantes attenuandæ libidinis, aut emaciandæ carnis artes, calamum perſtringere velim. Immò verò furor immanis Calviniſtarùm, proximè elapſo ſeculo in omnem vitæ monaſticæ aſceſim, & enervandæ libidinis vires, maximum mihi ſuppeditat argumentum, ad perſpiciendam ſanctæ religionis ac perſua-

ſionis Chriſtianæ veritatem, gloriam Eccleſiæ Catholicæ amplificandam, & gratiæ Chriſti efficacitatem in pravorum hominum ad Dei cultum converſionem comprobandam. Vitas Sanctorum & priſcorum Anacoretarum Thebaïdis, Syriæ & Palæſtinæ incolarum, non imitatione ſed veneratione conſequor, qui ex eremo paradiſum efformarunt, humanaſque formas in Angelicas tranſmutarunt, vi ſingulari integritatis & innocentiæ intaminatæ, aut virtutis pœnitendi labore. Conſilio igitur plurimùm diſcrepanti, ab ejuſmodi hominum hæreticorum animi re-

miſſione ac relaxatione, ad ſcribendum mentem appuli: nec aliâ proceſſi voluntate, niſi ut beatiſſima tempora revocarem, quibus ineunte ætate Eccleſiæ, artes comprimendæ libidinis ac domandæ carnis, Majores noſtri florentiſſimas reliquerunt. Eamobrem libenter ſpero ab æquis lectoribus perſpectum iri faciliter, ex hujuſce libri lectione, penitùs ignotas & inauditas fuiſſe vernantibus naſcentis Eccleſiæ diebus, quas vocant *diſciplinas*, ſeû ſpontaneas flagellationes, quibus pœnitentes vibicibus tergora ſua conſcribillant, aut propriâ manu nates inhoneſtis ſcuticis, fu-

niculis nodosis, aut virgis betulæis seû vimineis cruentant. Neque enim dubitandum est vehementer flagrare, ejusmodi flagellationes apud recentiorum Monialium aut Monachorum societates, easque præsertim, quæ sub specie reformationis, antiquas regularum leges, novis constitutionum accessionibus cumularunt. Eò devolvitur integrum hujusce lucubrationis consilium. Sed antequam tantulum opus exegerim, duo subjicienda sunt, adeò certa, ut de iis nemini homini dubium subolere possit. 1. Scilicet, hodierno flagellationum usu, pœnitentes seipsos

diverberare ſcuticis aut virgis, aut nodoſis funiculis, vel ſpontè; vel ab alienâ manu ejuſmodi corii vibificationes recipere: 2. Iſtiuſmodi flagellationes ſuper ſcapulas, & humeros, aut ſuper lumbares muſculos, quos γλουτοὺς medici vocant, effieri. Primam *ſursùm*, alteram vero *deorsùm diſciplinam* nuncupant. Hanc verò novam, & apud veteres Chriſtianos inauditam defendo, multiſque de cauſis veræ pietati ac pudori incommodare propugno, fœtumque idololatriæ, manu ſuperſtitionis obſtetricante eductum; poſſeque & debere, tanquam perverſum uſum &

errorem, relegari & relinqui; per manus hominum imperitorum ſub ſpecie pietatis & perfectiſſimæ pœnitentiæ in republicâ Chriſtianâ traditum & intromiſſum. Ad hanc aſceſim inſtituendam aut confirmandam, non parum conducibiles fuiſſe videntur pictores, quorum Pinacothecas, hominum rerum Chriſtianarum rudium bibliothecas, exiſtimavit ſanctus Gregorius Papa I. in epiſtolâ ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem; quippè cùm in antiquorum aſcetarum imaginibus, locum flagellis & ſcuticis ſemper nacti ſint, quæ neutiquam ipſis in mentem incur-

rerunt. Non defuerunt proximè elapſo ſæculo ſcriptores non imperiti, qui ejuſmodi *diſciplinas*, ſeû flagellationes, cum aliis carnis attenuationibus miſcuerunt, & eas, utcumque omni diſcrimine poſtpoſito, miſcellas non infauſto exitu tuendas affatìm receperunt. Mihi verò cum tantis viris depræliari non eſt animus qui in ſocietate Jeſuiticâ proceres audierunt, & inter reipublicæ litterariæ Quirites, ſi ita fas eſt loqui, ſunt cooptati. Sed adversùs Pictorum inſcitiam, ceû ruditatem, & obtuſitatem aut libertatem ſcribere, nemini homini interdictum eſt, quip-

Quare non impletis mensuram laterum sicut priùs, nec heri, nec hodie?

Veneruntque præpositi filiorum Israël, & vociferati sunt ad Pharaonem dicentes: Cur ita agis contra servos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & injustè agitur contra populum tuum.

Non amplificata ratiocinatione opus est, ad comprobandum ejusmodi flagellationem invitam & non spontaneam fuisse.

II. Locus habetur Levitici cap. xix. 20. in quo Deus impositâ pœnâ, fornicationis crimine interdixit: *Homo si dor-*

mierit cum muliere coïtu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera. Textus Hebræus præ se fert בקרת תהיה quem græcè scripserunt septuaginta Interpretes ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτοῖς, *inquisitio erit eis*, seû animadversio, quæ fieri solebat loris bubulis, hoc est scuticis, ut observat Vatablus. Porrò ex hac versione intelligere facile est propriâ manu vapulantis, ejusmodi flagellationem non fieri neque spontè, quippè cùm reo in seipsum inquirere non opus sit, abundanter pec-

catum suum perspectum habenti.

III. Locus legitur Deuteronomii XXV. 2. & 3. quo mensura flagri stricto numero quadraginta plagarum circumscribitur & præscribitur. *Si nocens*, inquit, *flagrum* meruerit, ut judex prostratum eum in suo conspectu pro criminis ratione ad numerum cædas, & quadragesies non amplius ferias, ne si multum ad hanc verberationem addiderit, contumeliâ frater vester afficiatur in vestrâ præsentiâ. *Sin autem eum qui peccavit dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari: pro mensurâ peccati erit &*

plagarum modus; ita dumtaxat ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. Quis ex his perſpectum non habeat iſtiuſmodi flagellationem propriâ manu vapulantis non fieri, & Iſraëlitarum animum longè alieniſſimum fuiſſe ab acerbiſſimis diverberationibus, quæ nodoſis funiculis, agglomeratis ferreis calcaribus, ceu pugiunculis fiunt apud pleroſque monachos reformatos? Quippe cùm Iſrëlitis, aſpirante Deo, maximè vetitum ſit ne in præſentiâ fratrem fœde laceratum conſpicerent & contumelia affectum. Eo enim loci


non est quæstio de pelle non incidendâ coram Idolo Moloch, aut super mortuo in funere amici: sed ne quidem pro meritis tantam flagri exacerbationem sustinere fas erat: ex his enim facile est colligere, quod si lege Dei tantâ flagellationum exacerbatione interdictum erat, etiam adversùs nocentes, qui fustuarium seû flagrum meruerunt, tanto magis sibi ipsi vapulanti tot vibices imprimere & sulcos in pelle diducere vetitum erat. Lex præcipit naturalis ne alteri feceris quod tibi fieri non vis: ipsa vero Lex Mosis eo loci, ne tibi feceris quod alteri fieri non vult, im-

perat. Quæ cum ita ſint non ſolùm opus, verùm etiam neceſſe eſt concludere lege divinâ, pellem incidere vetitum eſſe, & corio vibices infligere, ne laceratum videretur, & ex his flagellationibus exſurgere fœditatem & contumeliam horribilem ac Deo inviſam: *ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

Quî enim fieri poteſt ut in monaſteriis ceû aſceteriis reformatis, fœde laceratus ſanie taboque lividus non videatur frater? in quibus ſingulis hebdomadis ter aut quater horrenda flagrorum crepitacula audiuntur, toto tempore quo modulatione lentâ & ſuavi,



HIS-



HISTORIA FLAGELLANTIUM.

CAPUT I.

Instituti Operis ratio. Carnem macerare ad reprimendas cupiditates pium ac sanctum est. Usum flagellationum unà cum aliis carnis attenuationibus factarum reprehendere non est animus, sed earum divisim & solitariè sumptarum perversum usum, postpositis aliis carnis vexationibus, ostendere.



NSTITUENTI mihi scribere & mandare huic libro ortum & progres-

ſum flagellationum, quibus gens Chriſtiana antiquo ritu abuti aut uti ſolet: pertimeſcendum maximè videtur eſſe; ne in errorem hominum Proteſtantium, qui Lutheranæ aut Calvinianæ ſuperſtitioni nomen dederunt, temerè videar incurrere. Enimverò ſub ſpecie obtemperationis legi divinæ præcipienti Iſraëlitis, ne inciderent ſuper mortuo carnes ſuas, Levitici xix. 28. & Deuteronomii xiv. 1. omnes pœnitendi leges violant, ipſamque vexandæ libidinis virtutem prorsùs extingunt aut infirmant, pœnaſque ſugillant, quas ut à nobis repetamus autor eſt Tertullia-

nus, non ſolùm ad peccatorum veniam comparandam, verùm etiam Deo jubenti, & pœnitendi dolorem imponenti obtemperandum. Abſit igitur hoc à ſcribendi genere malum, ut adversùs corporis auſteritatem ſtylum meum exerceam, aut in varias ac diſcrepantes attenuandæ libidinis, aut emaciandæ carnis artes, calamum perſtringere velim. Immò verò furor immanis Calviniſtarum, proximè elapſo ſeculo in omnem vitæ monaſticæ aſceſim, & enervandæ libidinis vires, maximum mihi ſuppeditat argumentum, ad perſpiciendam ſanctæ religionis ac perſua-

ſionis Chriſtianæ veritatem, gloriam Eccleſiæ Catholicæ amplificandam, & gratiæ Chriſti efficacitatem in pravorum hominum ad Dei cultum converſionem comprobandam. Vitas Sanctorum & priſcorum Anacoretarum Thebaïdis, Syriæ & Palæſtinæ incolarum, non imitatione ſed veneratione conſequor, qui ex eremo paradiſum efformarunt, humanaſque formas in Angelicas tranſmutarunt, vi ſingulari integritatis & innocentiæ intaminatæ, aut virtutis pœnitendi labore. Conſilio igitur plurimùm diſcrepanti, ab ejuſmodi hominum hæreticorum animi re-

missione ac relaxatione, ad scribendum mentem appuli: nec aliâ processi voluntate, nisi ut beatissima tempora revocarem, quibus ineunte ætate Ecclesiæ, artes comprimendæ libidinis ac domandæ carnis, Majores nostri florentissimas reliquerunt. Eamobrem libenter spero ab æquis lectoribus perspectum iri faciliter, ex hujusce libri lectione, penitùs ignotas & inauditas fuisse vernantibus nascentis Ecclesiæ diebus, quas vocant *disciplinas*, seû spontaneas flagellationes, quibus pœnitentes vibicibus tergora sua conscribillant, aut propriâ manu nates inhonestis scuticis, fu-

niculis nodosis, aut virgis betulæis seû vimineis cruentant. Neque enim dubitandum est vehementer flagrare, ejusmodi flagellationes apud recentiorum Monialium aut Monachorum societates, easque præsertim, quæ sub specie reformationis, antiquas regularum leges, novis constitutionum accessionibus cumularunt. Eò devolvitur integrum hujusce lucubrationis consilium. Sed antequam tantulum opus exegerim, duo subjicienda sunt, adeò certa, ut de iis nemini homini dubium subolere possit. 1. Scilicet, hodierno flagellationum usu, pœnitentes seipsos

diverberare ſcuticis aut virgis, aut nodoſis funiculis, vel ſpontè; vel ab alienâ manu ejuſmodi corii vibificationes recipere: 2. Iſtiuſmodi flagellationes ſuper ſcapulas, & humeros, aut ſuper lumbares muſculos, quos γλουτοὺς medici vocant, effieri. Primam *ſursùm*, alteram vero *deorsùm diſciplinam* nuncupant. Hanc verò novam, & apud veteres Chriſtianos inauditam defendo, multiſque de cauſis veræ pietati ac pudori incommodare propugno, fœtumque idololatriæ, manu ſuperſtitionis obſtetricante eductum; poſſeque & debere, tanquam perverſum uſum &

errorem, relegari & relinqui; per manus hominum imperitorum ſub ſpecie pietatis & perfectiſſimæ pœnitentiæ in republicâ Chriſtianâ traditum & intromiſſum. Ad hanc aſceſim inſtituendam aut confirmandam, non parum conducibiles fuiſſe videntur pictores, quorum Pinacothecas, hominum rerum Chriſtianarum rudium bibliothecas, exiſtimavit ſanctus Gregorius Papa I. in epiſtolâ ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem; quippè cùm in antiquorum aſcetarum imaginibus, locum flagellis & ſcuticis ſemper nacti ſint, quæ neutiquam ipſis in mentem incur-

rerunt. Non defuerunt proximè elapſo ſæculo ſcriptores non imperiti, qui ejuſmodi *diſciplinas*, ſeû flagellationes, cum aliis carnis attenuationibus miſcuerunt, & eas, utcumque omni diſcrimine poſtpoſito, miſcellas non infauſto exitu tuendas affatìm receperunt. Mihi verò cum tantis viris depræliari non eſt animus qui in ſocietate Jeſuiticâ proceres audierunt, & inter reipublicæ litterariæ Quirites, ſi ita fas eſt loqui, ſunt cooptati. Sed adversùs Pictorum inſcitiam, ceû ruditatem, & obtuſitatem aut libertatem ſcribere, nemini homini interdictum eſt, quip-

pè, ut inquit Lucianus, dialogo ὑπὲρ τῶν εἰκόνων· Καὶ τοι παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος, ἀνευθύνους εἶναι ποιητὰς καὶ γραφέας: *vetus hoc dictum eſt, liberos eſſe poëtas ac pictores*, nec, quoad fieri poteſt, ab Eccleſiæ præſulibus impetrare, ne inſciorum & imperitorum libri, ſeû pictæ tabellæ, mendaciis fictiſque fabellis expleantur, & ante oculos Chriſtianorum, veritatem etiam cruci affixam adorantium, palàm in Templis & in Baſilicis proponantur. Non enim eſt indiga falſitatis veritas, quæ proprio pondere librata ſtat, inter varias mentis humanæ ludificationes, immota ſuſtentatur & conſiſtit.

CAPUT II.

Probatur in veteri Testamento neminem hominem spontè pœnas dedisse, propriâ aut alienâ manu: sed ad delictorum expiationem impositas fuisse, brevi ac præscripto ictuum per legem numero temperatas.

I. FIT mentio flagellationum in veteri Testamento Exodi capite v. 14. in quo scriptum legitur, ministros Pharaonis exactores laboris Israëlitarum, eos diverberasse, multùm de tam injustâ vexatione queribundos. *Flagellati sunt, qui præerant operibus filiorum Israël, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus:*

Quare non impletis mensuram laterum sicut priùs, nec heri, nec hodie?

Veneruntque præpositi filiorum Israël, & vociferati sunt ad Pharaonem dicentes: Cur ita agis contra servos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & injustè agitur contra populum tuum.

Non amplificata ratiocinatione opus est, ad comprobandum ejusmodi flagellationem invitam & non spontaneam fuisse.

II. Locus habetur Levitici cap. xix. 20. in quo Deus impositâ pœnâ, fornicationis crimine interdixit: *Homo si dor-*

mierit cum muliere coïtu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera. Textus Hebræus præ se fert בקרת תהיה quem græcè scripserunt septuaginta Interpretes ἐπισκοπὴ ἔςαι αὐτοῖς, *inquisitio erit eis*, seû animadversio, quæ fieri solebat loris bubulis, hoc est scuticis, ut observat Vatablus. Porrò ex hac versione intelligere facile est propriâ manu vapulantis, ejusmodi flagellationem non fieri neque spontè, quippè cùm reo in seipsum inquirere non opus sit, abundanter pec-

catum suum perspectum habenti.

III. Locus legitur Deuteronomii XXV. 2. & 3. quo mensura flagri stricto numero quadraginta plagarum circumscribitur & præscribitur. *Si nocens*, inquit, *flagrum* meruerit, ut judex prostratum eum in suo conspectu pro criminis ratione ad numerum cædas, & quadragesies non amplius ferias, ne si multum ad hanc verberationem addiderit, contumeliâ frater vester afficiatur in vestrâ præsentiâ. *Sin autem eum qui peccavit dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari: pro mensurâ peccati erit &*

plagarum modus; ita dumtaxat ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. Quis ex his perſpectum non habeat iſtiuſmodi flagellationem propriâ manu vapulantis non fieri, & Iſraëlitarum animum longè alieniſſimum fuiſſe ab acerbiſſimis diverberationibus, quæ nodoſis funiculis, agglomeratis ferreis calcaribus, ceu pugiunculis fiunt apud pleroſque monachos reformatos? Quippe cùm Iſrëlitis, aſpirante Deo, maximè vetitum ſit ne in præſentiâ fratrem fœde laceratum conſpicerent & contumelia affectum. Eo enim loci

non eſt quæſtio de pelle non incidendâ coram Idolo Moloch, aut ſuper mortuo in funere amici: ſed ne quidem pro meritis tantam flagri exacerbationem ſuſtinere fas erat: ex his enim facile eſt colligere, quod ſi lege Dei tantâ flagellationum exacerbatione interdictum erat, etiam adverſùs nocentes, qui fuſtuarium ſeû flagrum meruerunt, tanto magis ſibi ipſi vapulanti tot vibices imprimere & ſulcos in pelle diducere vetitum erat. Lex præcipit naturalis ne alteri feceris quod tibi fieri non vis: ipſa vero Lex Moſis eo loci, ne tibi feceris quod alteri fieri non vult, im-

perat. Quæ cum ita ſint non ſolùm opus, verùm etiam neceſſe eſt concludere lege divinâ, pellem incidere vetitum eſſe, & corio vibices infligere, ne laceratum videretur, & ex his flagellationibus exſurgere fœditatem & contumeliam horribilem ac Deo inviſam: *ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

Quî enim fieri poteſt ut in monaſteriis ceû aſceteriis reformatis, fœde laceratus ſanie taboque lividus non videatur frater? in quibus ſingulis hebdomadis ter aut quater horrenda flagrorum crepitacula audiuntur, toto tempore quo modulatione lentâ & ſuavi,

Psalm. 50. *Miserere* & 129. *De profundis* cum Antiphonâ *Salve Regina* decantantur. Jam verò supervacaneum est objectare, Legem Mosis abrogatam esse: istisque præceptis judicialibus ac pœnalibus neminem hominem christianum teneri. Enimverò ratio Legis hujusmodi ex visceribus juris naturalis exsurgit, neutiquam violandi, immò nostrâ & Mosis ætate æquabiliter observandi, *ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

IV. Intelligitur ex secundo libro Machabæorum cap. iij. in quo Heliodorus, cum thesaurum templi furto diri-

pere moliretur temporibus Oniæ Pontificis, regnante Seleuco, anno mundi creati 3828. anno 176. ante adventum Christi, ut divitias quarum malâ cupidine vexabatur, ad Regem Cœlo-Syriæ & Phœniciæ transportaret, à duobus juvenibus ejus animum externâ & adventitiâ visione pulsantibus flagellatus fuit: Quorum opem Judæi Deum propitiantes impetraverunt. *Alii etiam*, ℣. 26. *Apparuerunt duo juvenes virtute decori & optimi gloriâ, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, & ex utrâque parte flagellabant sine intermissione, multis plagis verberantes.* Ejus-

dem libri capite VII. ante natum Christum anno 167. Intelligimus septem fratres Machabæos acerbissimo cruciatu vapulasse, eo quod porcinis nollent uti carnibus. Verùm constat dubitandi locum nemini homini relictum fuisse, quin ejusmodi flagellationes invitò factitatæ sint, quippè cùm Deo jubente inflictæ in gratiam aut vindictam populi sui, uti ex his verbis capitis VI. lib. 2. Machab. intelligimus ℣. 13. 14. 15. & 16. *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententiâ agere, sed statim ultiones adhibere magni beneficii est indicium.*

Non enim sicut in aliis natio-

nibus Dominus patienter expectat, ut eas cùm judicii dies advenerit in plenitudine peccatorum puniat: ita & in nobis statuit ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet.

Propter quod nunquam quidem à nobis misericordiam suam amovet: corripiens verò in adversis, populum suum non derelinquit.

V. At vero objectant, Davidem dicere Psalmo 72. se flagellatum fuisse totâ die vel quotidie, *& fui flagellatus totâ die, & castigatio mea in matutinis.* Sed hæc neutiquam significant, sibi ipsi vapulanti vibices in corio diduxisse, reverà



totâ die aut quotidie; flagellatio enim eo loci ſumitur ſenſu figurato, pro tribulationibus & calamitatibus, quibus quotidie juſti pulſantur. Quamobrem alibi Propheta dixit Pſal. xxxvij. 18. *Ego autem in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Et enim *quem diligit Dominus corripit*, Proverb. cap. iij. 22. Sanctus Auguſtinus ad hæc verba, *& fui flagellatus totâ die*, ait, *à me non recedunt flagella Dei, bene ſervio & flagellor.* Sive nulla dies præterit in quâ ſim tribulationis & afflictionis aut miſeriæ expers. Hic eſt verus hujuſce loci Pſalmi Davidici ſenſus. Ex quo lu-

ce meridianâ clariùs consequitur, inauditas non solùm, verùm etiam incogitabiles fuisse in veteri Testamento spontaneas & liberas pellis vibificationes, seû propriis vapulantium manibus scuticis aut virgis armatis, flagellationes. Insuper hîc silentio prætermittere non expedit, Essenos seû Terapeutas inter vetus & novum Testamentum, qui domandæ carnis artibus adeò floruisse intelliguntur ex Philone Judæo & Eusebio Cæsariensi lib. VIII. & IX. Præparationis Evangelicæ, sive primipuli Christianorum extiterint, aut sectæ Judæorum nomen dederint. Sed utcumque res sit, ver-

berum aut flagellationum usum quin prorsus repudiaverint, dubitandi locus non relinquitur.

Attamen diffiteri non potis est, Judæos ab eo tempore quo Talmud Babylonicum à Rabbinis Mayr & Asse filio conscriptum est, scilicet anno Christi 476. quandam speciem flagellationum spontanearum, non propriâ tamen manu inflictarum, inter ritus suos admisisse nescio quâ superstitione fascinatos. Quippe cùm facile sit ex tractatu Malkos cap. iij. p. 22. intelligere ipsos post peractas preces & peccatorum confessionem, cujus ascesim sibi majore-

res relinquerunt, ſolere alterum ab altero in comitio ſynagogæ vapulare & ſcuticis cædi. Iſtiuſmodi flagellationis rationem deditâ operâ nobis explicat Joannes Buxtorſius pater, diverſæ partis ſcriptor, hâc de causâ in nullâ ſuſpicione falſi poſitus, in libro ſub titulo Synagogæ Judaicæ, capite xxv. pag. 521. typis impreſſo Baſileæ anno 1661. & ait, binos ſemper in peculiarem quemdam ſcholæ locum ſecedere; tumque alterum humi ſe proſternere, vultu ad ſeptentrionem verſo, tergo ad meridiem aut vice verſa; alterum verò ſcutica bovina vel cingulo triginta novem ictus

dorso procumbentis infligere; vapulante interim sua peccata confitente, & ad singulas voces, quæ sunt tredecim in textu Hæbreo versus 38. Psalmi lxxvij. tribus vibicibus pectus plangente. *Ipse autem est misericors, & propitius fiet à peccatis eorum, & non disperdet eos: Et abundabit ut averteret iram, & non accendet omnem iram suam.* Enimverò cùm hic versiculus Hebraice tredecim tantùm vocibus constet, terque à flagellante repetatur, & ad singulas voces ictus infligatur, novem & triginta ictus summatìm constitui secundùm legem necesse est. Observat Buxtorfius

ibidem, continenti tempore flagrionem vapulantis vices obire, & eodem modo à ſocio excipi nudato humerorum & laterum tergore, & ita graves peccatorum pœnas ſibi invicem dare; & ut aſinos mutuum fricare. Inſuper cùm interrogantur Rabbini hodierni, cur novem & triginta tantùm plagas infligant, cùm expreſsè quadraginta in lege decernantur, Deuteronomii capite xxv. ℣. 2. ſecundùm textum Hæbreum ארבעים יכנו *quadrageſiès percuties eum*, reſpondent, flagello olim uſos veteres ceû virgindemiâ tribus loris vitulinis compactâ, quorum duo breviora, ter-

tium vero tam longum fuerit, ut renum tenus corporis circulus ejus vibificatione ſulcaretur. Hoc vero flagello ter & decies Judæum vapulantem percuſſum aiunt, qui ſi vel ſemel tantùm ultrà cæderetur duæ præter quadraginta vapulanti plagæ ſeû ictus infligerentur: quod à Moſe prohibitum fuiſſe intelligitur ex Deuteronomii capite xxv. ℣. 3. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus: ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant.*

Caput III.

Christiani in usu non flagellandi seipsos, ab adventu Domini permanserunt. Sensus S. Pauli epistolæ 1. ad Corinthios, Cap. ix. ℣. *27.* Sed & castigo corpus meum, & in servitutem redigo. ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα. &c.

I. UNdeciès mentionem fecerunt flagellationum scriptores sacri novi testamenti : quinquiès potissimè de Christo salvatore, invitò & ingratìs vapulante, nec spontè secùs sustinente verbera, quàm ipsam mortem, ad quam usque factus est obediens patri judicanti justè, ad salutem humano generi pro-

curandam, de quo dictum eſt, *Ego animam meam pono à me ipſo*, quamvis nec ſeipſum cruci affixerit, nec ſibi ipſi violentas manus attulerit. Porrò hi recenſentur loci Matthæi capite xx. ℣. 19. & xxvij. ℣. 26. Marci capite xv. ℣. 15. Lucæ capite xviij. ℣. 33. & Joannis capite xix. ℣. 1. Ex quibus cum propria manu non intelligatur vapulaſſe Chriſtus in gratiam ſpontanearum flagellationum, ſeu *diſciplinarum* hodiernarum, nihil colligi aut comparari poteſt: ſecùs enim ſibi mortem inferre aut cruci ſeipſum affigere fas eſt, quod quàm abſurdum & ſupervacaneum ſit, nemo homo non videt.

II. Sex ſunt alii loci, quorum primus occurrit cap. ij. ſancti Joannis ℣. 15. in quo mentio fit numulariorum ſive trapeſitarum, quos Chriſtus flagello ex funiculis compacto de templo ejecit, fugavit: *Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit.* Secundus cap. v. Actuum Apoſtolorum ℣. 40. in quo poſt enarrationem conſilii à Gamaliele dati, ſcriptum eſt à Judæis, vapulantibus Apoſtolis interdictum fuiſſe omni ſermone de Christo Domino habendo, continenti tempore: *Et con-*

vocantes Apoſtolos, cæſis denunciaverunt ne loquerentur in nomine Jeſu, & dimiſerunt eos. Græcus textus habet δείραντες, à verbo δέρω, *pellem lacero*, à themate δέρας ερατος, quod *pellem* ſeu *corium* ſignificat. Tertius locus incurrit cap. vj. epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios, in quo factâ mentione perſecutionum, quibus Evangelii miniſtri vexabantur, ait ſanctus Paulus verſu 5. verſari in plagis, in carceribus, ἐν πληγαῖς, quod particulatìm magis explicat ejuſdem Epiſtolæ capite xj. ℣. 24. & 25. *A Judæis quinquiès quadragenas, unâ minus, accepi, ter: virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter*

naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. Et tandem in Epiſtolâ ad Hebræos cap. xj. ℣. 36. *alii verò ludibria & verbera experti.* Sed quibus, ex his, ſuboleant flagellationes ſpontaneæ & libenter ſuſceptæ? quis flagella repugnantibus impoſita non perſpiciat?

III. Sed ex Epiſtolâ primâ ad Corinthios cap. ix. ℣. 27. exſurgit objectio non contemnenda, immò verò multa cogitatione reputanda: in quâ de ſeipſo inquit ſanctus Paulus: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicavero ipſe reprobus efficiar.* Defendunt viri docti

plerumque, ejuſmodi corporis caſtigationem fuiſſe ſpontaneam ac liberam flagellationem: quâ concupiſcentiæ motus & impetus Apoſtolus coërcebat, carniſque à rectæ rationis imperio defectionem temperabat & frænabat. Jacobus Gretſerus, ſocietatis Jeſuiticæ nobilis Theologus, nervosè defendit hoc verbum ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα dumtaxat ſignificare *flagello vibices imprimo corpori meo, & illud plagis lividum reddo*, probatque autoritate Septalii & Guaſtaninii, duorum Ariſtotelis interpretum μεγαλωνύμων, ad ſectionem IX. problematum, problemat. 6. 9. & 10.
•

mordicùs defendentium Gallienum, huic verbo ſenſum ejuſmodi induxiſſe. Ad ejuſmodi autores & interpretes aggregare non deſtitit ſanctos Irenæum, Chryſoſtomum, Paulinum & Theophylactum, quos ex his verbis ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα eumdem ſenſum intellexiſſe defendit. Quæ ſi reverà ita ſint, dubitandum non eſt ſanctum Paulum ſignificaſſe, ſpontè ſibi & propriâ manu flagellationis pœnam impoſuiſſe, adeoque fidelibus Chriſtianis ſpontanearum vapulationum exemplum imitatione conſequendum præbuiſſe.

IV. Sed ejuſmodi rerum

quàm diſcrepans & diverſa ſit ratio intelligere facile eſt. Enim vero, ut faciliter perſpectam habeamus ſignificationem hujuſce verbi ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, ex codice novi fœderis inquirendum eſt, numquid non alibi incurrat quàm in hac epiſtolâ ad Corinthios. At vero ſancti Lucæ cap.xviij. ℣.5. palàm occurrit, in quo refert Chriſtus Dominus parabolam viduæ importunè apud judicem expoſtulantis, cui tandem aliquando jus reddere non recuſavit, & ait : *Tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in noviſſimo veniens ſugillet me.* διά γε τὸ παρέ-

χειν μοι κόπον τὴν χήραν ταύτην, ἐκδικήσω αὐτὴν, ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με. Quis vero ſibi perſuadeat hunc judicem timore percitum fuiſſe, ne ab hac muliere vapularet? hoc verò ita contingere neceſſe erit, ſi verbum ὑπωπιάζω, *flagello* aut *verbero* ſignificet. Sed cùm hoc & ſupervacaneum & futile ſit, hanc ſignificationem ei adſcribere melius eſt, *ſugillare* ſcilicet, *macerare*, atque aliis quàm plagoſis attenuationibus pellis carnem vexare & emaciare. Ad hæc poſſumus addere ſanctum Paulum quoties de flagris aut virgis mentionem facit in epiſtolâ ſe-

cunda ad Corinthios cap. xj. ỷ. 36. hoc verbo ὑπωπιάζω usum nunquam fuisse. Insuper Robertus Stephanus, ille Typographus Parisiensis eminentissimus, se vidisse refert codicem manuscriptum epistolarum sancti Pauli, in quo non ὑπωπιάζω legebatur, sed ὑπωπιέζω, quod *premo inediâ & fame* significat. Ad fidem hujusce veteris codicis Græci, epistolas sancti Pauli proferebat sanctus Clemens Alexandrinus libro 3. stromatum pag. 469. Ὁ Παῦλος αὐτὸ μοῦ τὸ σῶμα ὑπωπιέζω καὶ δουλαγωγῶ, φησίν. *ipsum corpus meum, inquit Paulus, premo & in servitutem redigo.* Eam-

dem lectionem ſequitur ſanctus Baſilius Magnus, homiliâ in pſalmum 29. pag. 195. adeoque Theophylactus ait pag. 239. Τινὲς δὲ ὑπωπιάζω ἰδικώτερον εἰρῆσθαι νοοῦσιν, ἀντὶ τοῦ, λιμῷ παραδίδωμι τοῦτο. ὅπερ οὐκ ἔστιν, ὑπωπιέζω γὰρ ὤφειλεν εἶναι. *Nonnulli verbum* ὑπωπιάζω *magis propriè dictum putant pro eo quod eſt fami trado corpus: verùm ea interpretatio non eſt admittenda, oporteret enim eſſe* ὑποπιέζω. Sed quid vetat loco ὑπωπιάζω legere per ὀμικρον ὑποπιάζω, & α loco ε ſcribi, ex Doricâ dialecto; etenim cùm πιέζω ſignificet *premo & affligo*, ὑπωπιάζω non ſigni-

ficabit *verbero* & *flagello*, ſed idem *premo* & *affligo*. Obſervat Gaſparus Suicerus in ſuo Lexico veterum Patrum, multis in codicibus antiquis epiſtolarum ſancti Pauli, legi ο pro ω; quod faciliter fieri potuiſſe ſcribarum vitio quis non intelligat? Heſychius ad hoc verbum ὑπωπιάζωμεν, ait, ὑπωπιασμὸς γὰρ ταπείνωσις ἐστὶ σώματος, *afflictio eſt humiliatio corporis*. Daniel Heinſius exercitationum ſacrarum ad Epiſtolam primam ad Corinthios cap. vj. pag. 389. defendit non ὑπωπιάζω legendum, ſed cum nonnullis ὑποπιάζω; nam πιάζειν Dorum pro πιέζειν, unde ὑποπιάζειν. Idem

Hesychius ad verbum ὑπώπια pag. 940. ait esse tumomores in oculis, τὰ ὑπὸ τοὺς ὀφθαλμοὺς οἰδήματα, & livores qui lædunt ac deformant vultum, ἀπὸ μέρους δὲ ὅλην τὴν ὄψιν δηλοῖ καὶ τὰ πελιώματα.

V. Utcumque res sint, si sanctum Paulum ex concordi Patrum & Interpretum mente intelligere necesse sit, inventum difficilem habebit qui hoc verbum ὑπωπιάζω, in *flagello*, aut *virgis cædo* traduxerit, & spontaneam verberationem ex eo intellexerit. Sanctus Irenæus Episcopus Lugd. seû antiquissimus ejus interpres hoc verbum traduxit, *lividum facio corpus meum*, lib.

6. contra hæreſes cap. lxxij. pag. 418. flagella, aut ſcuticæ, virgæ aut ferulæ, nequidem ei in mentem incurrunt. Sanctus Chryſoſtomus homil. 23. in Epiſtolam primam ad Corinthios docet Apoſtolum eo verbo ὑπωπιάζω ſignificaſſe quantos labores ad tuendam temperantiam & carnis libidinem frænandam adhibuerit: πολλὴν ὑπομένω πόνον, ὥστε σωφρόνως ζῆν· εἰ γὰρ καὶ δυσένδοτος ἡ ἐπιθυμία καὶ ἡ τῆς γαστρὸς τυραννίς· ἀλλ' ὅμως αὐτὴν χαλινῶ καὶ οὐκ ἐκδίδωμι ἐμαυτὸν τῷ πάθει, ἀλλὰ πάντα ὑπομένω πόνον, ὥστε μὴ παρασυρῆναι. *Multum ſuſtineo laborem, ut moderatè & temperanter vivam, cùm cupiditas*

ſit obſtinata, cumdifficiliter cedat: cùm tàmen refreno, nec huic me dedo affectui, ſed omnem ſuſtineo laborem ne ſeducar. Et infra καταστέλλω, καὶ ὑποτάττω μετὰ πολλῶν τῶν ἱδρώτων αὐτὴν, *eam coërceo, & cum multis ſubjicio ſudoribus.* Reverà citat Benedictus Haeſtenius diſquiſit. monaſtic. tom. 2. lib. 8. diſquiſitione ſeptimâ de diſciplinis pag. 825. concepta verba ſancti Chryſoſtomi ex homiliâ 34. ex quibus perſpectum uſum flagellationum tempore Chryſoſtomi habere facile eſt, ſed hæc verba, quæ Latinè ſcripta prodidit Haeſtenius, in Græcis neutiquam incurrunt: adeoque non con-

cepta Chrysostomi verba, sed ei adscripta perperam, & apocrypha sunt recentiori cuidam pio μαστιγοφόρῳ scriptori adjudicanda. Theodoretus Episcopus Cyri explicans hoc verbum ὑπωπιάζω, in suis ad versum 27. capitis 9. Epistolæ primæ ad Corinthios commentariis, de flagellis aut flagris non cogitat, sed de labore & continentiâ intelligendum esse docet. ὥσπερ ἡ τροφὴ τὸν ἀθλητὴν ῥωμαλεὸν ἐργάζεται, οὕτως ἡ φιλοπονία καὶ ἡ ἐγκράτεια ἐμὲ μὲν ῥώννυσι, τὸν δὲ ἀνταγωνιστὴν καταβάλλει. *Sicut alimentum robustum athletam efficit, ita labor & continentia me quidem corroborat, adversarium autem dejicit.*

S. Basilius Magnus Cæsariensis in Capadociâ Archiepiscopus, in lib. de verâ virginitate pag. 718. eundem S. Pauli versum explicans conceptis verbis, dicit, non aliis flagellis, nisi continentiæ usum esse, ut carnis impetus frænaret & comprimeret. Κατεξανίστασθαι γὰρ δὴ ἀκμὴν τῶν σαρκῶν τοῦ δεσπότου βουλόμενον, τοῖς τῆς ἐγκρατείας ὑπωπίοις δουλαγωγῶν, ἐπιγινώσκειν τὴν δεσποτείαν συναγκάζων. οὐ γὰρ οὕτως ἀέρα παίω, φησὶν, ὥστε ἀμέτροις πληγαῖς ἄχρηστον πρὸς τὴν δουλείαν ποιῆσαι, ἀλλ᾽ ὁ σκοπός μοι τοῦ ὑπωπιάζειν ἐστὶν, ἵνα δουλαγωγήσω τοῦτο πρὸς ὑπηρεσίαν τῆς δεσποτείας. *Insurgere e-*

nim adversùs Dominum per carnis vires ac petulantiam gestiens, per continentiæ flagella coerceo, dominatumque recognoscere cogo. Non enim ita, inquit, ferio, ut immoderatis illud vulneribus conteram, & inutile jam ad servitutem faciam: sed eo tantummodo ratio castigandi corpus est, ut servituti subjiciam & Domino obsequi ritè compellam. Ejusmodi enim oratio τῆς ἐγκρατείας ὑπωπίοις rotundè significat; ad flagella & flagra figurata tantummodo continentiæ respexisse.

S. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 265. ad Apollonium ait hæc verba sancti Pauli ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα significare,

τοῖς πόνοις τὸ εἰκότως τετιμῆσθαι δηλῶν, καὶ τὴν δωρεὰν διατηρῶ ἀκέραιον καὶ τὸ μὴ ἀνέσεσιν, ἀλλ' ἱδρῶσιν ἐμαυτὸν ἐκδιδόναι. *Per labores hoc planum faciens, ne haud abs re honore affectum fuisse, atque acceptum beneficium integrum & incolume conservo, dum meipsum non voluptatibus animique remissionibus sed sudoribus trado.* Quis verò ex his non intelligat faciliter, castigationes quibus corpus cohibebat sanctus Paulus non alias fuisse præter labores ad prædicationem Evangelii, quibus vires carnis attenuaverat? Oecumenius pag. 508. non alium sensum his verbis ὑπωπιάζω μου τὸ

σῶμα adjudicat. οὐκ ἀφίημι τῇ γαστρὶ καὶ τῷ σώματι τὰς ἡνίας, ἀλλὰ περισφίγγω αὐτὸ καὶ ὑποτάσσω. τοῦτο γὰρ λέγει τὸ ὑπωπιάζω, καὶ δουλαγωγῶ, τοῦτ' ἔστι δαμάζω καὶ ὡς δοῦλον ἄγω. *Non laxo fræna ventri & corpori, sed illud coërceo atque subjicio. Illud enim ὑπωπιάζω & δουλαγωγῶ, hoc est, domo & tanquam servum duco.*

VI. Non dissimilem huic loco interpretationem dederunt Ecclesiæ Latinæ Patres, nec à Græcis alieniorem. Neminem unum reperire potui, quin sibi persuaserit Apostolum haud propriâ manu vapulasse. Sic fatur sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanen-

lanenſis lib. de paradiſo cap. xv. *At verò ille qui ait, caſtigo corpus meum & ſervituti redigo, contriſtatur in noſtrorum pœnitentiâ peccatorum, quia ſua tanta delicta non habuit ut in his contriſtari deberet. Denique & nobis ſuadet utilem eſſe triſtitiam, quæ ſecundum Deum non ſecundum ſæculum eſt.*

Auctor Commentarii in Epiſtolas Pauli, ſancto Ambroſio vulgo adſcripti, ait ad cap. ix. ℣. 27. Epiſtolæ primæ ad Corinthios: *Caſtigare corpus, eſſe jejuniis illud agere, & illa ei dare quæ ad vitam proficiant non ad luxum.*

S. Hieronymus in eandem ivit ſententiam tomo ix. in

Epiſtolam primam ad Corinthios cap. ix. *Caſtigo corpus meum, & ſervituti ſubjicio per abſtinentiam & afflictionem atque labores. Sicuti alibi ait, in jejuniis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in laboribus, in carceribus.*

S. Auguſtinus, libro de agone Chriſtiano cap. 6. non hortatur his verbis, *caſtigo corpus meum*, ad flagellationes & ſcuticas; ſed ad pompas ſæculi repudiandas. *Imitemur ergo & nos illum ſicut hortatur, & caſtigemus corpus noſtrum, & in ſervitutem redigamus, ſi mundum volumus vincere: quia per illicitas delectationes ſuas & pompas, & pernicioſam cu-*

riositatem, nobis dominari potest hic mundus: id est, perniciosâ delectatione colligavit amatores rerum temporalium, & diabolo atque angelis ejus servire cogunt: quibus omnibus si renunciamus, redigimus in servitutem cor nostrum.

S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, illustris sancti Augustini discipulus, probi magistri vestigia ingeminans, non alium sensum Pauli verbis adscribit, Epistolâ tertiâ ad Probam de Virginitate cap. 12. *Spiritualis enim sponsus virginum non quærit in virgine carnem deliciis accuratam, sed jejuniis castigatam. Hoc doctor gentium in se facere dicit, no-*

bis quoque insinuat faciendum. Castigo, inquit, corpus meum, & servituti redigo. & rursùs : in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis : non quærat ergo Christi virgo carnis delicias, quas nec viduæ videt esse concessas.

S. Paulinus Episcopus Nolanus ab hac sententiâ non recedit Epistolâ 43. quæ est tertiâ ad sanctum Augustinum. *Videtur enim mihi*, inquit, *ille, non parcere corpori, qui carnem jejuniis domat, sicut Apostolus dicit : Lividum facio corpus meum, & in servitutem redigo, à quo opere saturitas carnis aliena est.*

S. Gregorius Magnus Pa-

pa I. homiliâ 32. in Basilicâ sanctorum Processi & Martiniani, ad hæc verba sancti Matthæi: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam*, observat duobus modis tolli crucem Christi, scilicet affectione corporis per abstinentiam, & animi, per miserationem in miseriis proximi, quam adhibuit sanctus Paulus. Quæ quidem à flagellationibus quam dissimilia sint satis constat.

Duobus etenim modis, inquit, *Crux tollitur, cùm aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus; pensemus qualiter utroque modo Pau-*

lus crucem suam tulerat, qui dicebat: castigo corpus meum, & in servitutem redigo.

VII. At verò, inquiunt, S. Petrus Chrysologus Archiepiscopus Ravennatensis, palàm demonstrat homilia xvj. sanctum Paulum propriâ manu vapulasse; quippe sic fatur, ex testificatione Jacobi Gretzeri Jesuitæ doctissimi, cap. iv. pag. 54. lineâ 6. agonostici spiritualis, typis impressi Ingolstadii per Adamum Sartorium anno M. DC. IX. *Hoc implebat Paulus qui servitutis suæ titulos sic scribebat: & lividum facio corpus meum, & servituti subjicio; præbebat vindictam bonus servus qui se*

usque ad livorem, sic agens, jugiter verberabat. Quis enim ex his non intelligat sanctum Paulum dedisse carnem suam prædam flagris ac scuticis, & vibicibus lividam reddidisse? Sanctus Petrus Chrysologus in hac homiliâ docet à Christo Domino institutos nos fuisse servos adversum se, & dominos erga famulos nostros, adeòque nos debere tantum solvere Christo ratione servitutis nostræ, quantum à servis & famulis nostris ratione dominii & herilis imperii exigimus. *Post hæc omnia, nisi servus pervigilet in crastinum, & dominum prævenit dormientem, fessus indefessus manica-*

bit ad verbera. Si ergo & servus sentit quod debeat homini aliter serviendo & dominando, dominus qualem servitutem Domino dominorum debeat docetur, & intelligit se magistrum. Exemplum dedisse sanctum Paulum continuo sermone significat, *Hoc implebat,* inquit, *Paulus, qui servitutis suæ titulos sic scribebat: usque ad hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur. & alibi: lividum facio corpus meum, & servituti subjicio; præbebat vindictam bonus servus qui se usque ad livorem, sic agens, jugiter verberabat.* Hæc verba *sic agens,* palàm indigitant figuram flagellatio-

nis, corpus lividum factum fuisse fame, siti, nuditate, colaphis inflictis, *sic agens, jugiter verberabat*, id est continuò carnem rebellem coërcebat. At verò improbabile & incredibile est continuò carnem scuticis aut virgis cohiberi potuisse; adeoque necesse est hanc diverberationem de macerationibus, attenuationibusque carnis intelligere. Jacobus Gretzerus adducto hoc loco sancti Petri Chrysologi post has voces, *Paulus qui servitutis suæ titulos sic scribebat*, hæc verba omisit: *usque ad hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur:* Et alibi ante hæc

verba, *lividum facio corpus meum, & servituti subjicio;* quæ iis annexa, *sic agens, jugiter verberabat*, luce meridianâ clariùs demonstrant omnem sancti Pauli flagellationem ac diverberationem in tumore ac livore decoloratæ carnis, in colaphis, jejuniis, siti & nuditate, quas mirificè sustinebat, constitisse; nec prætermittendum est hæc neutiquam occurrere in homiliâ xvj. sancti Petri Chrysologi ut apud Gretzerum citata incurrunt, sed in in sexagesimâ primâ supra centesimam.



Caput IV.

Principio apud Ethnicos flagellationes spontaneæ usu receptæ fuerunt: adeòque primis Christianis visæ sunt horribiles & pertimescendæ.

I. FLagellationes invitis ac repugnantibus hominibus inflictas fuisse principio, & ante conditam Rempublicam Romanam, pœnasque servis impositas fuisse, dubitandi locus non relinquitur. Justinus in Epitome Trogi Pompei lib. ij. cap. 5. refert Scytas virgis ac flagellis armatos servos rebelles faciliùs cohibuisse quàm ferro. *Qui,* inquit, *tertiâ expeditione reversi*

omisso ferro, virgas & flagella cæteraque servilis metus paranda instrumenta, probato omnes consilio instructi sint præceptum erat, postquam ad hostem accessere: inopinantibus verbera intentant, adeòque illos perculerunt, ut quos ferro non poterant, metu verberum vincerent, fugamque non ut hostes victi sed ut fugitivi capessserent. Tertullianus lib. de Pallio, capite iv. subverbustos appellitat servos, sub verberibus ustos & verberones. Non desunt ejusmodi flagellationum exempla frequentissima apud Plautum, Terentium, Horatium, Martialem & infinitos politioris literaturæ viros. Viri

fortes & in bello clari, prostratos hostes flagellare solebant, summâque voluptate explebant animum inflictis vibicibus, ut intelligimus ex Sophocle in Tragediâ sub titulo Ajacis μαστιγόφορου, his versibus

MINERVA.

Τί δῆτα τὸν δύστηνον ἐργάσῃ κακόν;

Quid igitur infelici infliges mali?

AJAX.

Μάστιγι πρῶτον νῶτα φοινιχθεὶς θάνῃ.

Flagris primum cruento tergo, deinde morietur.

MINERVA.

Μὴ δῆτα τὸν δύστηνον ὧδη γ' αἰκίσῃ.

Ne miserum sic flagelles.

AJAX.

Χαίρειν Ἀθάνα τ' ἄλλ' ἐγώ σ' ἐφίεμαι.
Κεῖνος δὲ τίσει τήνδε, κοὐκ ἄλλην δίκην.

Sine me in hac re gaudere, O Minerva.
Ipse verò hanc & non aliam pœnada-bit.

Hac etiam arte ludi magistri discipulos in scholis correxerunt, & jam receptam fuisse apud Falerios in incunabulis imperii Romani non dubitandum est: uti intelligimus ex inflicto à Camillo supplicio, ludi magistro proditori, quem, ut refert Titus Livius primæ decadis lib. v. denudatum manibus post tergum illigatis reducendum Falerios pueris tradidit, virgasque quibus proditorem agerent in urbem verberantes dedit: *Meminique plagosum mihi parvo dictare Orbilium*, inquit Horatius; quamvis hanc ascesim verberandi pueros vehementer improbaverit Quintilianus lib. 1.

Institutionum Oratoriarum capite 3. *Cædi verò discentes, quamquam & receptum sit, & Chrysippus non improbet, minimè velim: primum, quia deforme & servile est: & certè quod convenit, si ætatem mutes, injuria. Deinde quòd si cui tam est mens illiberalis ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas ut pessima quæque mancipia durabitur. Postremò quòd non opus quidem erit hac castigatione, si assiduus studiorum exactor astiterit. Nunc ferè negligentiâ pædagogorum sic emendari videbitur, ut pueri non facere quæ recta sunt cogantur, sed & cur non fecerint, puniantur. Denique cùm*

parvu lum verberibus coëgeris, quid juveni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, & majora dicenda sunt? Adde quod multa vapulantibus dictu deformia, & non verecundiæ futura sæpe dolore vel metu accidunt: qui pudor refringit animum & abjicit, atque ipsius lucis fugam & tædium dictat. Jam si minor in diligendis custodum & præceptorum moribus fuit cura, pudet dicere in quâ probra nefandi homines isto cædendi jure abutantur, quam det aliis quoque nonnunquam hic miserorum metus, non morabor in parte hac, nimium est quod intelligitur. Non possumus tamen diffiteri flagellandorum

puerorum uſum lege Dei conſtitutum fuiſſe proverb. cap. xiij. ℣. 24. *qui parcit virgæ odit filium ſuum.* & cap. xxiij. ℣. 13. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: Si enim percuſſeris eum virgâ non morietur: in virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Ad quod alludens Petrarcha lib. de remediis utriuſque fortunæ.

Corrige dum tener eſt puerum, nec parcito virgæ;
Dum tener eſt ramus flectitur obſequio.

His etiam uſi ſunt flagris judices, ad plectendos reos pro menſurâ criminum; armatique metu flagrorum, virgarum, ſcuticarum, ferularum, ſontes homines terruerunt ac

ſubegerunt: uti ex Horatii intelligimus ſatyra iij. verſ. 117. & 118.

Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne ſcuticâ dignum, horribili ſectêre flagello.
Nam, ut ferulâ cædas meritum majora ſubire
Verbera, non vereor;

Gravi ſupplicio non vexabantur qui ferulâ coërcebantur, quæ loris taureis erat compacta. *Scutica*, ſpecies quædam erat faſciculi ex palimpſeſti lemniſcis confecti. *Flagellum*, erat ex corio quo veredarii præcurſores uti ſolent. Romæ etiam erant flagella ex funibus Ibericis, nodis aſperata. Horat. Ode iv. Epodon. ad Menam.

Ibericis peruſte funibus latus.

& infrà,

Sectus flagellis hic Triumviralibus
Præconis ad faſtidium.

Ea denique omnis generis flagella, erant tyrannidis ſigna, non ſecus ac ſervitutis & auctoritatis prætorialis terriculamenta, in ſervos & ſubditos; quod quidem intelligere facile eſt ex Suetonio, in vitâ Cæſaris Auguſti, in quâ hæc leguntur: *Marcus Cicero Caium Cæſarem in Capitolium perſecutus, ſomnium priſtinæ noctis familiaribus fortè narrabat, puerum facie liberali demiſſum cælo, catenâ aureâ ad fores Capitolii conſtitiſſe, eique Jovem flagellum tradidiſſe. Deinde repen-*

te Augusto viso, quem ignotum adhuc plerisque avunculis Cæsar ad sacrificandum acciverat, affirmavit, ipsum esse, cujus imago secundum quietem sibi observata sit. Unde Juvenalis Satyra x. versu 99. ait de Augusto.

Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites.

Observat Camerarius in suis meditationibus historicis, in eodem curru triumphatores pœnè semper habuisse carnificem cum flagello, ut intelligerent, quàm facilè esset ex fastigio gloriæ in humilitatem & contumeliam corruere. Hic usus flagellandi subditos in Galliâ substitisse videtur ad tempora Dagoberti

Clotharii filii Francorum Regis, annum ſcilicet Chriſti 526. de quo hæc refert Robertus Gaguignus Hiſtoriæ Francorum lib. iij. folio 36. verſo: *At Dagobertus cùm præceptorem qui eum ſæcularibus ornatum redderet inſtitutis à patre accepiſſet, quem Aquitaniæ Ducatu pater donaverat, intellexit non ſa rudis adoleſcens quantum Sadrageſillus, id enim nomen erat Pædagogo, propter acceptam à patre dignitatem ſuperbiret, ita ut eum neque ſatis veneraretur, neque obſervaret: vocatum ad convivium Sadrageſillum, cum è regione Dagoberti velut par illi aſſediſſet, poculumque tamquam ex æquali manu deſump-*

sisset, jubet eum virgis cædi, & barbam quam promissam habebat amputari. Eadem refert Tillius protonotarius Senatus Parisiensis in Chronico Regum Franciæ.

Verùm præter has flagellationes non volontarias, erant liberæ, spontaneæ, & voluntariæ, quæ mentes humanas non in minorem admirationem traducunt. Tertullianus observat lib. ad Martyres pag. 158. edit. Rigaltii, celeberrimum fuisse apud Lacedæmonas diem festum, qui *διαμαστίγωσις* nuncupabatur, sive *flagellationis dies;* quâ spontè & non repugnantes, ante aram Dianæ juvenes quidam pueri

flagellabantur: *Namque hodie apud Lacedæmonas ſolemnitas maxima eſt* διαμαστίγωσις, *id eſt flagellatio. Non latet, in quo ſacro ante aram nobiles quique adoleſcentes flagellis affliguntur aſtantibus parentibus & propinquis, & uti perſeveraverint adhortantibus.* Nam, ut ait Plutarchus in inſtitutis Laconicis pag. 239. tomo. II. Editionis Wechelii Francofurt. 1599. lit. C. & in Lycurgo, idem ait ſe ſuo tempore conſpexiſſe. Οἱ παῖδες παρ' αὐτοῖς ξαινόμενοι μάστιξι δι' ὅλης τῆς ἡμέρας ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθίας Ἀρτέμιδος μέχρι θανάτου πολλάκις διακαρτεροῦσιν ἱλαροὶ καὶ γαῦροι, ἁμιλλώμενοι περὶ νίκης πρὸς ἀλ-

λήλοις, ὅστις αὐτῶν ἐπὶ πλεόν τε καὶ μᾶλλον καρτερήσειε τυπτόμενος. καὶ ὁ περιγενόμενος ἐν τοῖς μάλιστα ἐπίδοξός ἐστι. καλεῖται δὲ ἡ ἅμιλλα διαμαστίγωσις. γίνεται δὲ καθ᾽ ἕκαστον ἔτος. *Pueri per integrum diem flagellis cæsi ſæpenumero ad mortem uſque, apud Dianæ Orthiæ aram, læti alacreſque tolerant, atque inter ſe de victoria certant, in eo poſita quis diutiùs magiſque perferat verbera, victoremque ſumma conſequitur gloria. Certamen illud flagellatio dicitur. quot verò annis habetur.* Etiam in Thraciâ generoſi adoleſcentes flagris cædebantur, ut refert Artemidorus libri I. capite ix. στίζονται παρὰ Θραξὶν οἱ

εὐγενεῖς

εὐγενεῖς παῖδες. Ad huncmorem ſpectat Cicero lib. II. Tuſcul. *Sparta pueri verò ad aram ſic verberibus accipiuntur, ut multis è viſceribus ſanguis exeat: Nonnumquam etiam ut cum ibi eſſem, audiebam ad necem, quorum non modo nemo exclamavit umquam, ſed ne ingemuit quidem.* Iterum Tuſc. lib. 5. *Pueri Spartiato non ingemiſcunt verberum dolore lacerati.* Idem Plutarchus in Apophthegmatis Regum & Imperatorum refert, Zopyrum Darii amicum & exercitus ducem, verberibus ſibi inflictis propriâ manu, & truncis inhoneſto vulnere naribus & auribus, Babylonios ludificaſſe, eorumque

urbem cruentis ejusmodi dolis Dario tradidisse: ἐπεὶ δὲ αὐτὸς ἑαυτὸν αἰκισάμενος ὁ Ζώπυρος, καὶ τὴν ῥῖνα καὶ τὰ ὦτα περικόψας ἐξηπάτησε Βαβυλωνίους, καὶ πιστευθεὶς ὑπ' αὐτῶν παρέδωκε Δαρείῳ τὴν πόλιν. Mosonius apud Stobæum sermone xix. refert pueros hac flagellatione lætari: ὡς δὲ οὔτε αἰσχρὸν, οὔτε ὑβριστικὸν ἔχουσιν οὐδὲν, δηλοῦσι Λακεδαιμονίων παῖδας δημοσίᾳ μαστιγουμένους, καὶ ἐπ' αὐτῷ τούτῳ ἀγαλλομένους. *Quod verbera nihil injuriosum & grave habeant, ostendunt Lacedæmoniorum pueri, qui publicitùs flagellantur, & idipsum gaudent.* Nicolaus Damascenus eam Lacedæmoniorum puerorum δια-

μαστιγῶσιν refert libello de moribus gentium apud Stobæum ſermone xlij. & de Perſis ait ibidem, quod ſi quem juſſerit Rex flagris cædi, is tamquam beneficio affectus gratias agat, quod ejus Rex meminerit. ἐὰν δέ τινα προςτάξῃ βασιλεὺς μαστιγῶσαι, εὐχαριστεῖ, ὡς ἀγαθοῦ τυχὼν, ὅτι αὐτοῦ ἐμνήσθη βασιλεύς. Scholiaſtes Thucydidæ ait fortiores haberi, qui optimè in his verberibus perdurarent, quippe ſic de Lacedæmoniis ſcribit: ἁμιλλαι καὶ διαμαστιγώσεις ἐγίνοντο κατά τινα καιρὸν, ἐν αἷς οἱ πλείονας ἐνεγκόντες ἀνδρειότεροι ἐνομίζοντο. *utique & flagellationes fiunt per aliquod tempus, in quibus qui*

plures feruntur viriliores nuncupantur. Hinc prima flagrorum ſpontaneorum labes. Lucianus dialogo περὶ γυμνασίων pag. 895. lit. D. Editionis Pariſienſis anni M. DC. XV. dicit parentes exiſtimare ſe contumeliâ affici, ſi flagris pueri ſuccumberent, adeòque ut fortitèr flagrorum crepitacula ſuſtinerent adhortatos fuiſſe, Spartanos verò eos qui inter verbera expirarent, erectis in eorum memoriam ſtatuis honeſtaſſe. πολλοὶ γοῦν καὶ ἐναπέθανον τῷ ἀγῶνι, μὴ ἀξιώσαντες ἀπαγορεῦσαι ζῶντες ἔτι, ἐν ἀφθαλμοῖς τῶν οἰκείων, μηδὲ εἶξαι τοῖς σώμασιν. ὧν καὶ τοὺς ἀνδριάντας ὄψει τιμωμένους δημοσίᾳ ὑπὸ

τῆς Σπάρτης ἐναποτεθέντας. *Itaquè permulti plagis ipſis immoriuntur, dedecoroſum exiſtimantes, ſi etiam dùm viventes in familiarum conſpectu, verberibus ſuperati deficerent, aut corpore flagrorum ictibus cederent, quos etiam ſtatuis in memoriam illorum erectis, publicè à Spartanis honeſtatos videbis.* Idem Lucianus dialogo de morte Peregrini narrat Philoſophum Cynicum, hominem vaga venere ſalacem, ſibi nates ferulâ diverberaſſe, atque alienâ manu ſpontè vapulaſſe temporibus Trajani Imperatoris à principio Chriſtianorum religionem ſecutum, ſed mox ad Philoſophiam Cynicam re-

lapsum: ἐν πολλῷ δὲ τῶν περιεστώτων δήμῳ ἀναφλῶν τὸ αἰδοῖον, καὶ τὸ ἀδιάφορον δὴ τοῦτο καλούμενον ἐπιδεικνύμενος. Εἶτα παίων καὶ παιόμενος νάρθηκι εἰς τὰς πυγὰς καὶ ἄλλα πολλὰ νεανικώτερα θαυματοποιῶν. *Postea in magnâ circumstantis populi corona, tractans in manibus τὸ αἰδοῖον, hoc tamquam medium & indifferens esse demonstrabat. Exin verberabat & verberabatur ferulâ circa nates, multaque alia juveniliora more mirifico ac præstigioso designabat*. pag. 998. lit. C. Idem refert in dialogo sub titulo Nigrini de moribus Philosophi, extitisse suâ ætate Philosophos, οἳ ταύτην ἄσκησιν ἀρετῆς ὑπελάμβανον ἢν πολλαῖς

ἀνάγκαις, καὶ πόνοις τοὺς νέους ἀντέχειν καταγυμνάσωσι, τοῦτο μὲν δεῖν οἱ πολλοὶ κελεύοντες, ἄλλοι δὲ μαστιγοῦντες, οἱ δὲ χαριέστεροι καὶ σιδήρῳ τὰς ἐπιφανείας αὐτῶν καταξαίνοντες. *qui virtutis exercitationem putabant, ſi multis neceſſitatibus & laboribus juvenes reſiſtere aſſuefeciſſent; quapropter multi ſe ligare jubebant, alii verò verberibus flagellabant; qui verò gratioſiores erant ſuperficiem cutis radebant ferro.* Verùm dubitandi locus non relinquitur, ejuſmodi flagellationes ſpontaneas inventum habuiſſe apud Ægyptios, uti refert Herodotus in Euterpe libro II. capite xlj. ubi mentione factâ ſacrorum, quæ Ma-

gnæ Deæ ritè fieri solebant, pag.105. προνηστεύσαντες δὲ, θύουσι. καιομένων δὲ τῶν ἱρῶν τύπτονται πάντες ἐπεὰν δὲ ἀποτύψωνται, δαῖτα προτίθενται, τὰ ἐλίποντο τῶν ἱρῶν. *Jejuni tamen priusquam sacrificarent, dum sacrificium ardet omnes verberantur; postea quam vapulaverunt, dapes ex sacrificii reliquiis proponuntur.* Et ibidem infrà capite lxj. pag. 113. linea 12. ἐν δὲ Βουσίρι πόλι ὡς ἀνάγουσι τῇ Ἴσι τὴν ὁρτὴν εἴρηται πρότερόν μοι· τύπτονται γὰρ δὴ μετὰ τὴν θυσίαν πάντες καὶ πᾶσαι μυριάδες κάρτα πολλαὶ ἀνθρώπων. *At in urbe Buziri quomodo diem festum Isidi agant superius à me dictum est. Verberantur enim post sacrifi-*

cium cuncti & cunctæ, multa ſane hominum millia. & continenti ſermone, τῷ δὲ τύπτονται, οὔ μοι ὅσιόν ἐστι λέγειν, *quo autem verberentur, non eſt mihi fas dicere.* Obſervat Herodotus hunc ritum flagellationum ex his qui Ægyptum incolunt præſertim Cares obſervaſſe.

Philoſtratus de vitâ Apollonii Tyanæi libro vj. cap. 10. pag. 292. litt. C. edit. Claud. Morelli Pariſ. anno 1608. ex recenſione Frid. Morelli. Τὸ δὲ τῶν μαστίγων ἔθος, τῇ Ἀρτέμιδι τῇ ἀπὸ Σκυθῶν δρᾶται, χρησμῶν φασὶν ἐξηγουμένων ταῦτα. θεοῖς δὴ ἀντινομοθετεῖν, μανία οἶμαι. οὐ σοφοὺς, ὦ Ἀπολλώνιε, ἔφη, τοὺς τῶν ἑλλήνων θεοὺς εἴρηκας, εἰ μαστίγων

ἐγίγνοντο ξύμβουλοι τοῖς τὴν ἐλευθερίαν ἀσκοῦσιν. Verberum autem consuetudo in Scythicæ Dianæ honorem servatur, quod ita ut aiunt oracula, præceperunt, Diis autem obsistere insania quædam est ut opinor. Tum Thespesion, nequaquam, inquit, Apolloni; sapientes Græcorum deos ostendis, si eos cædi verberibus consulunt, qui maximè libertatem profitentur. Apuleius Madaurensis lib. viij. metamorphoseos sive de Asino aureo, enarrans *σωμασκίαν* sacerdotum .Deæ Syriæ spontaneas flagellationes, dissectionesque membrorum refert. pag. 679. Edit. Lugd. anni 1587. *Ad postremum ancipiti ferro quod gerebant sua*

quiſque brachia diſſecat. Inter hæc unus bacchatur effuſiùs ac de imis præcordiis anhelitus crebros referens, velut numinis divino ſpiritu repletus, ſimulabat ſauciam vecordiam, prorſus quaſi Domini præſentia ſoleant homines, non ſui, fieri meliores, ſed debiles effici vel ægroti. Specta denique quale cæleſti providentia meritum reportaverit. Inſit vaticinatione clamoſâ conſicto mendacio ſemetipſum inceſſere atque criminari, quaſi contra fas ſanctæ religionis deſignaſſet aliquid, & inſuper iſtas pœnas noxii facinoris ipſe de ſuis manibus expoſcere. Arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, contortis

tæniis lanosi velleris prolixè fimbriatum & multijugis talis ovium tessellatum indidem sese multinodis commulcat ictibus, mirè contra plagarum dolores præsumptione munitus. Quis verò ex his non intelligat describi flagrum quo effœminati Syriaci seipsos cædebant, ut ita sub sanctitatis specie irrepentes animis superstitiosorum, corraderent pecuniam, & æruscatores fierent sive æris quæsitores, ut observat Philippus Beroaldus, in suis ad Asinum aureum commentariis.

Silenus Chius in fabulosâ historiâ tradit sacris flagellationum præfuisse sacerdotem

fœminam, quæ tamdiu parvam ac levem Deæ ſtatuam ſuſtentabat quamdiu pueri cæderentur. Lucianus citato dialogo de morte Peregrini, de his ſacerdotibus flagellationum mentionem facit. *μαντικὸς ἐῶ μὲν τί ἐρεῖ μοι δὲ, ἢ μὴν καὶ ἱερέας αὐτοῦ ἀποδειχθήσεσθαι μαστίγων ἢ καυτηρίων. neque teſtificari dubito, ne certò futurum confirmans ut ſacerdotes & illi conſtituantur flagellorum & uſtionum, pag. 1002. litt.* C.

Seneca de providentiâ cap. iv. *Numquid tu inviſos Lacedæmoniis liberos ſuos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admotis? ipſi illos patres adhortantur ut ictus fla-*

gellorum perferant, & laceros ac semianimes rogant, perseverent vulnera præbere vulneribus.

Servius hunc versum explicans viij. libri Æneidos:

Hic exultantes salios nudosque Lupercos.

ait istiusmodi homines quibus erat nomen Lupercis, per vicos & plateas exutis vestibus nudos cucurrisse, armatâque manu flagellis, mulieres palmas extendentes diverberasse: quæ superstitione insolenti sibi fœcunditatem procurari ejusmodi plagis, in palmas aut in ventrem inflictis, sperabant & facilitatem ad partum. Unde ait Juvenalis

Nec prodest agili palmas præbere Luperco.

Vetus Scholiastes Juvenalis, ad satyr. 2. versu 142. hæc habet *steriles mulieres februantibus Lupercis se offerebant, & ferulâ verberabantur.* Unde & Aurelius Prudentius in Romano Martyre.

Quid illa turpis pompa nempè ignobiles
Vos esse monstrat cum Luperci curritis,
Quem servulorum non rear vilissimum,
Nudus plateas si per omnes cursitant,
Pulset puellas verbere ictas ludicro.

Festus Pompeius libro 3. *Crepos Romani Lupercos dicebant, à crepitu pelliculárum quem faciunt verberantes; mos enim Romanis in Lupercalibus nudos dis-*

currere, & pellibus obvias quasque fœminas ferire.

Hic furor montes & maria superaverat jam ætate Romuli. Arcades enim temporibus Evandri Regis in honorem Dei Panis spontè sese flagellabant. Petronius Arbiter pag. 503. Satyrici edit. Amstelod. anni 1669. refert mulierem Romæ dedisse speciem quandam pharmaci ad excitandam venerem, & alvi partes inter umbilicum & pubem diverberasse. *Nasturtii succum cum abrotono miscet, perfusisque inguinibus meis, viridis urticæ fascem comprehendit, omniaque infra umbilicum cœpit lentâ manu cædere.* Idem Pe-

tronius refert tutelam navis expiari ſolere flagellis. *Itaque ut tutela navis expiaretur, placuit quadragenas utriſque plagas imponi. Nulla ergo ſit mora: aggrediuntur nos furentes nautæ cum funibus, tentantque viliſſimo ſanguine tutelam placare, & ego quidem tres plagas Spartanâ nobilitate concoxi.*

Suetonius in vitæ Tiberii Claudii ait num. 8. pag. 512. *Quoties poſt cibum obdormiſceret, quod ei ferè accidebat olearum & palmularum oſſibus inceſſebatur; interdum ferulâ flagrove velut per ludum excitabatur à Copreis*, id eſt ſcurris aulicis.

Refert ſanctus Hieronymus in Epitaphio Marcellæ viduæ libro 2. adverſus Jovi. capite xix. & libro 1. Apolog. adverſus Rufin. cap. iv. extitiſſe Romæ tam deperditæ fatuitatis homines, ut patulas nates diverberandas ficto cuidam ariolo in plateis & rerum venalium foro ſponte exhiberent. *Nec mirum ſi in plateis & in foro rerum venalium fictus Ariolus ſtultorum verberet nates*. Revera non *nates*, ſed *nares*, legendum exiſtimaverunt Eraſmus & Marianus Victorius Reatinus, ſed ex codicibus manuſcriptis *nares* in *nates*, emendarunt Gravius & doctiſſimus Jeſuita Heriber-

tus Rosweidus, in suo Onomastico ad vitas Patrum, edit. Antuerp. anni 1628. ejusmodi Arioli seipsum verberantis mentionem facit Plautus in Truculento. *Num obsecro? nam Ariolus qui ipsus se verberat.*

Suidas mentionem facit cujusdam Superiani Philosophi, Lascharis discipuli, adeò laboriosi & diligentis, ut cum annos amplius xxx. natus Oratorum libros legere cœpisset, & ad liberales disciplinas animum advertere à seipso per vim exigeret, & nec objurgationibus nec flagris parcens ea ætate edisceret quæ ab aliis omnibus dum

adhuc ſunt pueri, Pædagogi & Magiſtri exigunt. Quin etiam ipſe Superianus à ſe ipſo flagris cæſus in balneis ſæpè conſpiciebatur. οὐδὲ ἐπιτιμήσεων, οὐ μάστιγαν φειδόμενον ἐκμανθάνειν ἐν τῷ τηλικούτῳ τῆς ἡλικίας, ἅπερ οἱ ἄλλοι πάντες ἐν τῇ νεότητι ἀπαιτοῦνται, παῖδες ἔτι ὄντες ὑπὸ παιδαγωγῶν τε καὶ διδασκάλων. ἀλλ' ὅγε Σουπηριανὸς αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ μεμαστιγωμένος ἑωρᾶτο πολλάκις ἐν τοῖς βαλανείοις.

Sextus Pompeius Feſtus jam laudatus, ineunte ætate religionis Chriſtianæ grammaticus, libro de Verborum ſignificatione, obſervat extitiſſe Romæ flagratores, genus ho-

minum qui mercede flagris cædebantur. Dacierius, vir ſupra mortalem literatus, & in inveſtigandâ antiquitate laborioſus, in ſuis ad Feſtum notis ait: *immò potius ii videntur fuiſſe qui flagris cædebant.* Philippus Beroaldus in ſuis ad Apuleium commentariis lib. viij. Aſini aurei pag. 601. edit. Lugdunenſ. 1587. hæc obſervat. *Id genus homines flagratores quoque dicebantur, quamvis quidem flagratores ponunt pro flagriones, ut ſint qui mercede flagris cæduntur.* Bucædas & Reſtiones qui funibus aut loris bubulcis cædebantur, ſervos appellat Plautus Moſtellariæ actu iv. ſce-

nâ ii. verſ. 1. *Illi erunt Bucædæ invitò potius quàm ego ſim Reſtio.* Sed utcumque res ſit, ſpontè flagra & verbera infligebantur. Quæ cum ita ſint planiſſimè conſtat ex caudice gentilitatis, ſpontaneas flagellationes & voluntarias ortum habuiſſe, & ramos diduxiſſe, neutiquàm verò apud veteres Chriſtianos ejuſmodi verberationum ſeû flagellationum veſtigium, aut vibicem incurrere.



CAPUT V.

Primis Ecclesiæ sæculis quibus artes pœnitendi & vexandæ carnis floruerunt, disciplinæ seû flagellationes spontaneæ fuerunt incogitabiles & ignotæ. Ætate sancti Augustini usu accepta erat ascesis flagellandi hæreticos & reos. Explicatur sanctus Joannes Climacus. Antiquis Orientis anachoretis incognita flagra voluntaria & spontanea.

I. CUM usu recepta essent flagra spontanea apud Ethnicos, eadem majoribus nostris Christianis invidiosiora fuisse, & odio subjecta non dubitandum est. Enim verò si legantur epistolæ sancti Ignatii Martyris, apo-

logiæ ſancti Juſtini, omnes Canones Apoſtolorum nomine inſcripti, ſancti Clementi Romano conſtitutiones adſcriptæ, Origenis Adamantii opera omnia, Clementis Alexandrini ſtromata, Euſebii Cæſarienſis, ſancti Chryſoſtomi, ſanctorum Gregorii Nazianzeni, Nyſſeni, Baſilii Magni, & Seleucienſis, & generaliter omnia Græcorum & Latinorum ſcripta, ne γοῦν quidem iſtiuſmodi flagellationum, quas vocant *diſciplinas* ſpontaneas, occurret, ſeû propriâ vapulantis manu inflictas aut alienâ voluntariè libenterque receptas. Porrò ex his manifeſtè conſe-

conſequitur, purioribus ineuntis & jam adultæ ætatis Religionis Chriſtianæ temporibus, ceû mille poſt Chriſtum natum annis & ampliùs, incogitabile & improbabile fuiſſe hominibus, propriâ aut alienâ manu, de ſuo ludere corio, ac ſibi ſcapulas aut γλουτοὺς conſcribillare ſcuticis aut flagellis: immò verò in perſuaſione permanſiſſe videntur immunitatis Chriſtianorum ab omni ſpecie flagri: uti ex his antiquis verſibus intelligimus, de Columna cui Chriſtus inter flagellationis crepitacula fuit alligatus.


Vinctus in his Dominus ſtetit ædibus; atque Columnæ
Annexus, tergum dedit ut ſervile flagellis.

Perstat adhuc, templumque gerit veneranda Columna,
Nosque docet cunctis immunes vivere flagris.

Quippe si flagris se continuò cecidissent Christiani, si quotidie propriâ aut alienâ manu vapulassent, non est credibile immunes cunctis flagris se reputasse. Porrò hi versus leguntur tomo iv. Bibliothecæ Patrum anni 1618. pag. 924. vulgò adscribuntur Aurelio Prudentio, qui vixit exeunte sæculo quarto, circa annum CCCXC. Fabricius in editione Poëtarum Christianorum adjudicat Amœno; quem Gerardus Joannes Vossius, VIII. sæculo floruisse existimat. Joannes Siccardus vindicat

Sedulio ſub imperio Junioris Theodoſii. Sed utcumque res ſint, ad comprobandam flagrorum novitatem benè ac ſapienter adduximus.

II. Inſuper fatebimur ultrò pium ac ſanctum eſſe, adinſtar Chriſti flagellationem ſuſtinere: ſed hoc non probat flagellandi cogitationem in mentem hominum incurriſſe, aut ejuſmodi vapulandi aſceſim decem primis Eccleſiæ Catholicæ ſæculis uſu receptam fuiſſe: cum præſertim veteres Chriſtiani non tantas exacerbationes in flagellatione Chriſti intellexerint, quantas habuit S. Brigitta perſpectas ex ſuis Revela-



tionibus. Nemini homini erudito ignotum, S. Chrysostomum homilia 83. & S. Augustinum tract. 16. in Joannem existimasse, Pilatum non jussisse Christum flagellari more Romano, sed Judaïco, & magis temperato, quamvis repugante S. Hieronymo in caput xxvij. S. Matthæi.

III. Exacerbatio flagrorum quibus servi plectebantur, primis Ecclesiæ temporibus more Romano temperata fuit à Patribus Concilii Eliberitani ante Nicænum I. celebrati Canone v. quo interdictum est communione dominis quæ zeli furore accersæ suas ancillas donec in-

ter verbera expirarent flagellabant. *Si quæ domina furore zeli accensa, flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut ante tertium diem animam cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit : si voluntate per septem annos; si casu post quinquennii tempora, actâ lagitimâ pœtentiâ ad communionem placuit admitti : quod si intra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.*

Tempore S. Augustini ex more recepto hæretici flagellabantur, & sæpè alia crimina impositâ pœnâ flagri vetabantur in judiciis Episcoporum. Id enim intelligitur ex

epiſtolâ 59. ad Marcellinum Tribunum, de Donatiſtis. *Noli perdere*, inquit, *paternam diligentiam, quam in ipſa inquiſitione ſervaſti, quando tantorum ſcelerum confeſſionem non extendente eculeo, non ſulcantibus ungulis, non urentibus flammis, ſed virgarum verberibus eruiſti. Qui modus coercitionis & à magiſtris artium liberalium & ab ipſis parentibus ſæpè etiam in judiciis ſolet ab Epiſcopis adhiberi.*

In hac agendi ratione permanſerat Eccleſia Arelatenſis tempore S. Cæſarii Epiſcopi, adhibita ſecundum legem Moſis flagellandi moderatione, uti ſcribit Cyprianus in

vitâ S. Cæſarii: *Solebat*, inquit, *ſanctus id accuratè obſervare, ut nemo ex iſtis qui ipſi parebant, ſive illi ſervi eſſent, ſive ingenui, ſi pro culpâ flagellandi eſſent amplius, triginta novem ictibus ferirentur. Si quis verò in gravi culpâ deprehenſus eſſet, permittebat quidem ut poſt dies paucos iterum vapularet, ſed paucis. Conteſtabatur Eccleſiæ præfectos, ſi quis juberet quempiam diutius flagellari, & illa verbera illi mortem afferrent ut is homicidii reum ſe ſciret.*

Tantam moderationem adverſus Eccleſiaſticos viros non tenuit S. Gregorius Magnus, qui ejus ætate adhuc impoſitâ pœnâ flagri plectebantur,

Episcopalibus judiciis uti intelligimus ex epistolâ 66. libro ix. registri, in quâ correctionis modum adhibendæ præscribit Episcopo cui nomen erat Paschasio, adversus subdiaconum Hilarium, qui crimine calumniæ Joanni diacono inflictæ postulabatur. *Quia ergo nequitiæ malum sine dignâ non debet ultione transire, suprascriptum Paschasium Episcopum volumus admoneri, ut eumdem Hilarium priùs subdiaconatus quo indignus fungitur privet officio atque verberibus publicè castigatum faciat in exilium deportari, ut unius pœna multorum possit esse correctio.* Ejusmodi flagellandi jus ab

Epiſcopis ad Abbates & præpoſitos monaſteriorum pervenit, ad emendationem culparum ſontibus procurandam. Memini enim legiſſe in vitâ S. Pardulphi relata tomo II. novæ Bibliothecæ manuſcriptorum R. Patris Philippi Labbei Jeſuitæ doctiſſimi publici juris factæ Pariſiis anno 1657. diſciplinam corporis ceu ſcuticarum pœnam impoſuiſſe præpoſitum monaſterii fabris quibuſdam tignariis, qui non bene directis ad amuſſim ſuæ cretæ lineis, in trabis cujuſdam dimenſione deliraverant. *Liframnus quidam præpoſitus prædicti monaſterii decrevit ut in*

Basilicâ B. Albini confessoris, ubi postea corpus sancti Pardulphi jacet humatum, gradus faceret, & in mensurarum locum Basilicæ ipsius cum carpentariis in sylvam perrexit, & factum solium, plaustro impositum ad monasterium perduxerunt, & iterum mensuratum pedem & dimidium mensura hominis breviorem. Tum præpositus multum scandalizans, & iracundiæ furore succensus, eisdem carpentariis disciplinam corporis imponi jussit. Intelligimus ex vitâ S. Romualdi quam scripsit Petrus Damiani, vehementem calumniam sustinuisse à monacho, quem gravissimis verberibus coercere solebat, ca-

pite xlix. ipſum Romualdum à ſuis monachis virgis cæſum ac turpiter dehoneſtatum, de finibus ſuis expulſum fuiſſe, capite xviij. ab ipſo diabolo diverberatum capite xvj. Denique dictum Romualdum ſuum patrem ad ſæculum reverti volentem & monachi veſtem exuere, in ligno conſtrinxiſſe, gravibus vinculis alligaſſe, & verberibus duris afflixiſſe, cap. xiij. *Deinde jam libera uti facultate permiſſus, non equo fultus, non vehiculo deportatus, ſed ſolùm in manu ferens baculum nudis plantis ex intimis Galliarum finibus Ravennam uſque pervenit, ibique patrem ad ſæculum reverti vo-*

lentem reperiens, in ligno pedes ejus fortiter strinxit, gravibus eum vinculis alligavit, verberibus duris afflixit, & tamdiu corpus ejus pia severitate perdomuit, donec ejus mentem ad salutis statum Deo medente reduxit. Dubitandi locus igitur non relinquitur, quìn his temporibus flagris & scuticis rei plecterentur inviti ac reluctantes. At verò cum nullum existat & occurrat spontaneæ & voluntariæ flagellationis vestigium, nullæ fibræ aut capillamenta flagelli erumpant, concludere necesse est, nullum his temporibus usu receptum fuisse flagrum spontaneum.

IV. At verò, inquiunt, S. Joan. Climacus qui florebat, ut quibuſdam eruditis placet, in umbilico IV. ſæculi vel in fine ſexti, ut aliis lubet, ſcilicet anno CCCXL. vel DLX. mentionem facit ſolitariorum monaſterii carceris, qui ſe ipſos diverberabant, libri Κλιμαξ dicti, gradu IV. de græcis ſic traduxit R. P. Matthæus Raderus Jeſuita: *Ex his ergo alii pavimentum lacrymis inundabant, alii lacrymarum fonte deſtituti ſeipſos diverberabant.* Hæc verò aſſumuntur ad concludendum hiſce temporibus uſum diſciplinarum ſeu flagellationum fuiſſe receptum. Jacobus Getzerus alter Jeſuita

doctissimus hunc S. Joan. Climaci locum protulit, libro 1. de disciplinis capite x. pag. 65. & in Apologetico de disciplinis Græcorum lib. 1. cap. xiij. pag. 132. sed in ejus operum versione latinâ standum non est; sed potiùs Ambrosii Florentini Camaldulensium præfecti generalis, qui sic traduxit: *Alii verò, quia lacrymarum imbres non haberent, seipsos miserabiliter lamentabantur.* Quicumque enim Græcè sciunt sensum S. Joannis Climaci non assecutum veterem iterpretem Venetiis impressum anno 1518. quem secuti sunt Jesuitæ Jacobus Gretzerus, & Matthæus Raderus faciliter intelligent.

Textus Græcus conceptis ſic ſe habet. οἱ μὲν ἐν ἐκείνοις τὸ ἔδαφος τοῖς δάκρυσιν ἔβρεχον. οἱ δὲ δακρύων ἀπορουῦντες ἑαυτοὺς κατέκοπτον. Illa enim vox κατέκοπτον, quæ eſt tertia perſona pluralis temporis præteriti imperfecti modi indicativi activi, non ſignificat *diverberabant*. Idem quippe Joannes Climacus, Paulo ſuperius, cum indigetare vellet ceû ſignificare, ſolitarios qui fronte terram diverberabant, non utitur hoc verbo κατεκόπτοντας, ſed ait καὶ τὸ μέτωπον εἰς γῆν τύπτοντας. Id eſt, *fronte terram verberantes ceû ferientes*. Hoc verbum κατακόπτω, ſæpè ſignificat *obtrunco, trucido, contundo*,

discerpo. Sed eo loci hæc interpretatio non convenit. Incredibile enim eſt extitiſſe ſolitarios qui ſe obtruncarent ac diſcerperent, vel trucidarent. Hoc inter Chriſtianos ſemper vetitum & horribile viſum eſt, iſtiuſmodi ſuperſtitionis genus Turcis & Ethnicis, Chriſti verò diſcipulis neutiquàm convenit. Nec aliud exemplum effodere potui in lapidicinis plagoſæ antiquitatis, præter illud virginis cujuſdam ſexu virili ſimulato, nomine Joſephi ementito, quod prodidit P. Jacobus Gretzerus Jeſuita ex codice manuſcripto anni 1538. libro 1. de diſciplinis capite xiij.

pag. 95. *Quæ ex quadam præteritæ delectationis abominatione ſeſe affligendo, requiem non habuit in ſpiritu ſuo, donec præteritas qualeſcumque delicias carnis ſuæ cruciatu mirabiliter recompenſaret; fervore enim ſpiritus quaſi inebriata præ dulcedine carnium Agni Paſchalis carnes ſuas faſtidiens, fruſta non modica cum cultello reſecavit quæ pro verecundia in terram abſcondit.* Sed ejuſmodi exemplum *quidem* inſolens, imitatione conſequi lege Chriſtiana interdictum eſt. Exiſtimarem ergo libenter dandam eſſe verbo activo κατακόπτω, ſignificationem verbi medii κατακόπτομαι, quod inſuper ſigni-

ficat *plango*: ut videre facile est apud S. Chryſtomum in homiliis ad 1. epiſtolam ad Corinth. ἄρα τὸ κατακόπτεσθαι ἐπὶ τοὺς ἀπολλοῦσι τῶν οὐκ ἐχόντων ἐστὶν ἐλπίδα, ut refert Scapula de verbo κατακόπτομαι, Eandem poteſtatem huic verbo adſcripſit Lucianus dialogo περὶ θυσιῶν, de ſacrificiis, pag. 187. litt. B. Ibi enim factâ mentione ſacrificiorum Ægyptiorum ait, αἱ δὲ θυσίαι καὶ παρ' ἐκείνοις αἱ αὐταὶ πλὴν ὅτι πενθοῦσι τὸ ἱερεῖον, καὶ κόπτονται περιστάντες ἤδη πεφονευμένον. *Sacrificia ſunt eadem apud eos, niſi quod lacrymas effundunt ſuper victimam, & jam mortuam plangunt.* Conſtat igi-

tur hoc verbum κατακόπτομαι, non significare *diverbero*, aut *flagello*, sed *plango* aut *lamentor*. Nec obstat κατέκοπτον, apud S. Joannem Climacum esse tertiam personam pluralem temporis præteriti imperfecti modi indicativi verbi activi κατακόπτω, quod sæpè significat *percutio*, *contundo*, *discerpo*, solum verò verbum medium κόπτομαι, significare *plango*: uti prolatis S. Chrysostomi & Luciani testimoniis perspectum est; reverà enim alia exempla inventum facilem non habent. Sed valdè probabile mihi videtur loco κατέκοπτον, legendum esse κατεκόπτοντο, addito το, quod

faciliter vitio ſcribarum omitti potuit. Tunc verò cum ſit huic reſtitutioni grammaticæ locus, perfaciliter erit tertia perſona imperfecti medii κατακόπτομαι, κατεκοπτόμην, κατεκόπτον, κατεκόπτετο. Plural. κατεκοπτόμεθα, κατεκόπτεστε, κατεκόπτοντο. Hanc conjecturam confirmabunt veteres S. Joannis Climaci codices manuſcripti: interim donec inveniantur, cùm regula generalis ſit ut medium vim & poteſtatem & ſignificationem habeat verbi activi, non dubitandum eſt S. Joannem Climacum de flagellationibus ſpontaneis non cogitaſſe; adeoque improbabilem eſſe ætate quâ vixit,

ſcilicet in fine ſexti ſæculi aut in medio quarti, uſum diſciplinarum & flagrorum ſpontè receptorum. Alter Jeſuita doctiſſimus Ludovicus Creſolius Antologiæ pag. 247. de virtutibus ſelectis piorum hominum in hanc flagellandi aſceſim, prodidit locum S. Cyrilli Alexandrini ex commentario in Joëlem prophetam c. ij. n. 27. ἑαυτοὺς γὰρ αἰκιζόμενοι μονονουχὶ ἀγελαίνοντα, καὶ λελυπηκότα τὸ θεῖον καθ' ἡμῶν εὖ μάλα δυσωποῦμεν θυμὸν, καὶ τὴν χεῖρα τοῦ καταπαίοντος εὐκόλως συστέλλομεν. *Nos ipſos enim flagellantes, non ſolum furentem & ferocem contra nos iram divinam mitigamus, & manum*

percutientis faciliter cohibemus. Sed hoc participium αἰκιζόμενοι, à verbo αἰκίζω, non significat ibi *flagellantes*, sed *affligentes*, & *dolore* ac *luctu afficientes* : id verò pleniſſimè conſtat Scripturæ locis, ex quibus hanc concluſionem aſſumpſit ἑαυτοὺς γὰρ αἰκιζόμενοι δυσωποῦμεν θεῖον θυμόν, Matthæi v. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Eccleſ. cap. vij. *Melius eſt ire in domum luctus, quàm ad domum convivii.* Athenagoras in Legatione, ſeu Apologiâ pro Chriſtianis ad Imperatores M. Aurelium Antoninum, & Lucium Aurelium Commodum, eo partipio αἰκιζομένοις utitur, ad

describendam Gentilium superstitionem, qui seipsos astragalis disturbabant, ἐῶ γὰρ τοὺς ταῖς μαχαίραις, καὶ τοῖς ἀστραγάλοις αἰκιζομένοις, id est *eos omitto qui se cultris & flgellis*, quibus pendula erant pondera ceû calcaria *affligebant*; quippe ἀστράγαλον, apud Hesychium τὴν σφόνδυλον καὶ τὸ ὑποκάτω τοῦ σκέλους, ponduſculum periſchelidi appensum significat. Observat Julius Pollux lib. 10. cap. xij. quod apud Craterem in Festis Calcaria nodosa flagella appellabantur· παρὰ δὲ Κράτητι ἐν ταῖς ἑορταῖς, καὶ ἀστραγαλωτὴς μάστιξ ὠνόμασται.

V. Explicatis S. Joanne

Climaco & S. Cyrillo, ex quorum operibus solitaria objectio assumi potest, quæ speciem quandam probabilitatis aut rationis habeat, in gratiam flagellationum spontanearum: non valdè arduum erit probare eas antiquis ascetis incognitas fuisse, & ab eorum mente longè alienissimas. Scripsit vitam S. Antonii S. Athanasius; S. Hieronymus S. Pauli, qui vulgò primus Eremitarum reputatur: sed in his quantumvis austeritate & salebris pœnitentiæ exasperatis, nulla *disciplinæ* ceû flagellationis spontaneæ vibix incurrit. In vitâ S. Antonii amplficata videtur

tur deditâ operâ mentio flagellationis non voluntariæ, quâ Demon sanctissimum virum vehementer vexabat: & in vitâ S. Hilarionis, quam scripsit S. Hieronymus, non prætermittuntur ictus, ceû acerbissimæ vibices quas Diabolus tergoribus ejus impresserat: *institit,* inquit, *dorso ejus festivus gladiator, & latera calcibus cervicem flagello verberans*; de flagellationibus spontaneis nihil penitùs incurrit. Numquàm fuit occasio magis opportuna dicendi de ejusmodi flagellationibus ac de iis consulendi, quàm in Epistolâ quam scripsit S. Hieronymus Diacono Sabino: erat

enim nocentiſſimus homo, publicâ mœchiâ inquinatus; puellæ in ipsâ cryptâ in quâ Chriſtum Magi adoraverant, ſtuprum inferre tentaverat. Totis eloquentiæ viribus ad meliorem frugem & pœnitendi virtutem excitare ſatagit Hieronymus; ſed verbera & flagra neutiquàm ei in mentem incurrunt. An verò credibile eſt, ſi eo tempore uſu recepta fuiſſent ab Eccleſiâ, ea pretermiſiſſe S. Hieronymum? Hæc Epiſtola ad Sabinum eſt xlviij. inter Epiſt. ſancti Hieronymi tom. 1. edit. Eraſmi pag. 231. Verumtamen plagoſarum diſciplinarum patroni ex ipſo S. Hie-

ronymo aſſumunt argumenta, ad comprobandas flagellationes, ceû verberationes ſpontaneas, ac propriâ manu vapulantium tergoribus impreſſas. In hanc rem proferre ſolent Epiſtolam S. Hieronymi ad Euſtochium, de cuſtodiâ virginitatis, in quâ ſcripſit conceptis verbis: *Memini clamantem diem crebrò junxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas.* Sed quis ex his intelligat S. Hieronymum ſe propriâ manu cecidiſſe ſcuticis, aut virgis, ac flagellis de ſuo corio pia crudelitate luſiſſe? Hoc enim nec fieri

poterat, nec cogitari. Quis verò è contra non videat per ejuſmodi pectoris verbera, ſanctiſſimum Patrem propriis pugnis pectus percuſſiſſe, & peccata planxiſſe, atque hac arte pœnitendi tritâ & vulgari, pravas quibus agitabatur cogitationes diſſlaſſe & extinxiſſe? Brevitas intervalli inter pectus & brachia à naturâ conſtituti, prorſùs refringit ictus ſcuticarum aut flagelli, adeoque nihil magis alienum à ſenſu S. Hieronymi his flagellationibus ſpontaneis fingi aut exogitari poteſt. Inſuper addunt S. Hieronymum flagrantem deſiderio aſſequendi ſtyli Cicero-

niani, ab angelis coram Deo diverberatum fuisse, liventesque scapulas vibicibus multis conscribillatas in hac luctâ retulisse; sed quàm perperàm fiat ejusmodi objectio luce meridianâ clariùs est. Enimverò si quas pœnas dedit S. Hieronymus ob caussam adeò levem & futilem, invitò dedisse nullus dubitandi locus relinquitur. Sed insuper ex ejus Apologiâ adversus Rufinum, κατ' ὄναρ, *per somnium*, ei contigisse intelligimus. Quippè cùm ei Rufinus exprobraret sponsionem Deo factam numquam literis sæcularibus operam dandi, ex libro ad insti-

tuendam virginem conscripsisse respondit: *Dormiens ante tribunal judicis pollicitus sum numquam me literis sæcularibus daturum operam; tunc quod instat pro sacrilegio atque perjurio somnii respondendum est.* Apolog. adversus Rufinum tom. 2. pag. 211. litt. A. edit. Erasmi anni 1524.

VI. Theodoretus Episcopus Cyri in Concilio Calchedonensi & quintâ Synodo generali, causâ trium Capitulorum celeberrimus, deditâ operâ scripsit Historiam religiosam, in quâ refert vitas triginta solitariorum Orientalium, qui se carnis vexationibus & auste-

ritatis exacerbationibus, ſupra vires humanas illuſtrarunt; quorum plerique ad epiſcopalem & ſacerdotalem dignitatem aſſumpti & evecti ſunt. Ex eo intelligimus S. Jacobum Niſibenum, qui fuit Epiſcopus, ſibi ipſi toto vitæ tempore interdixiſſe uſu ignis, proſtratum humi diſcubuiſſe, nec veſtibus ex lanâ confectis, ſed caprinis pellibus uſum eſſe: addit ejuſmodi auſteritates acceſſionibus cumulaſſe curationis maximè pro pauperibus impenſæ. Refert S. Julianum panem ex furfure miliario confectum comediſſe, & ferè ab omni ſpecie potus abſtinuiſſe.

Idem refert de ſancto Martiano, qui famis ac ſitis morſus continuò ſuſtinebat, ſemel tantùm ac leviter qualibet die comeſtus. Narrat hunc ſanctum virum habuiſſe diſcipulum qui nec panem nec carnem comedebat. S. Euſebius in renibus catenam ferream geſtabat, annis duobus de quadraginta ſine potu vixit. Idem fecit S. Publius ſenior. Simeon ex eodem Theodoreto herbis & fruticibus vixit. S. Theodoſius Epiſcopus præter renes cilicio & catenâ ferreâ collum & manus oneravit: nec lecto nec libris uſus eſt S. Zeno. Macedonius hordeo ſolitario annis quadra-

ginta vitam ſuſtentavit; quibus elapſis ad ſacerdotium invitus ac repugnans aſſumptus eſt. Abrahames Epiſcopus integro ſui Epiſcopatus tempore nec panem nec legumina guſtavit, nec aquam bibit. Adeo attenuatus jejuniis continuis S. Euſebius evaſit, ut emaciatis lumbis zona ad pedes continuò difflueret κατηνάλωντο δὲ καὶ γλουτοὶ, καὶ ἰσχία, καὶ παρεῖχον τῇ ζώνῃ ῥᾳδίαν τὴν ἐπὶ τὰ κάτω φοράν. Idem Theodoretus de cilicio quod Mares ſolitarius integro vitæ curſu induit, mentionem facit, cujus ut pietati ac religioni gratificaretur loco altaris manibus Diaconorum uſus eſt,

ut eo præsente sacra mysteria celebraret. Indusia ferrea ceû loricas hamis confectas recenset, & injurias aëris quibus æstivo tempore & brumâ recurrente, gelu rigente, objiciebantur. Nec prætermisit eos qui in cisternis & speluncis præsepulti, aut ad fastigia columnarum evecti vitam agerent. Neminem hominem animadvertit qui se flagello aut scuticis verberaverit. Quippè ter tantummodò de flagris mentionem facit in historiâ religiosâ. Primò, capite IX. in quo vitam refert Beati Petri solitarii Pontis-Euxini, qui cum puellam quamdam ne vitiaretur à præ-

fecto militum fortitèr liberasset, truculentiam salacis hominis adeò cohibere non potuit, quin acerbissimis virgis cum matre cæderetur. Secundus locus habetur capite xviij. in vitâ beati Abrahamis, cujus ætate tributorum exactores diris flagellis vectigalia exigebant. Tertius eodem capite refertur, ex quo intelligimus his temporibus lictores scopis ac flagellis armatos impedivisse plebem Christianam ne cadaver prædicti solitarii in libitinâ clausi, indumentis feralibus aut syndone spoliarent. Incredibile videtur & incogitabile usu receptas fuisse eo tempore spon-

taneas flagellationes, & in memoriam Theodoreti non incurrisse: immo verò multò probabilius est, prorsùs impervias & ignotas fuisse; quippè legibus Christianæ Religionis non solum minimè præscriptas, verum etiam sensui communi, hominum pudori, ac rectæ rationi contrarias ac repugnantes. Verumtamen quæ adversus veritatem per manus à majoribus traditam, objectari solent silentio prætermittere non expedit. Intelligimus ex vitâ S. Pardulphi monachi Benedictini & Abbatis, qui tempore Caroli Martelli majoris domus Francorum vixit annum circiter

DCCXXXVII, quam publici juris fecit ex apographo R. Patris Jacobi Sirmondi alter Jesuita doctissimus Philippus Labbe, in novâ Bibliothecâ manuscriptorum Parisiis anno MDCLVII. post Hugonem Menardum Benedictinum in investigandis antiquitatis Ecclesiasticæ rebus laboriosum, qui anno MDCXXIX, eandem vitam exscripserat ex Codice manuscripto sancti Cornelii Compendiensis, in suis observationibus ad Martyrologium Benedictinum, prædictum sanctum Pardulphum tempore quadragesimæ, toto corpore nudato se à quodam

diſcipulo virgis cædi præcepiſſe; adeoque concluditur non recentem neque novam exiſtimari debere ſpontanearum flagellationum aſceſim. Sed reſpondere facile eſt, hanc vitam ſancti Pardulphi ſaltem ducentis annis poſt mortem ſcriptam fuiſſe, jam erumpentibus flagellationum uſibus; quippe cùm hujus vitæ autor fuerit Yvo Prior Cluniacenſis, ut refert Gofredus Prior Voſienſis in ſuâ Chronicâ, in Bibliothecâ novâ mſſ. Patris Labbe, typis impreſsâ Pariſiis anno MDCLVII. diuque poſt fundatum Monaſterium Cluniacenſe anno DCCCCX. ad-

eoque ferè ætate Dominici Loricati, Rodolphi Eugubini, & Petri de honestis Damiani dicti. Insuper ejusmodi flagellatio refertur in vitâ sancti Pardulphi, uti res insolens & minimè in imitationem adducenda; sed potius admirationem: *E cellâ*, inquit autor, *Pardulphus non egrediebatur; carnis atque volatilium esum ignorabat: semel tantum in hebdomade comedebat. Si ob morbum balneis uteretur ante ferro carnem incidebat. Tempore quadragesimæ toto corpore nudato se à quodam discipulo virgis cædi præcipiebat.* Ejusmodi actus imitari non tam in humanæ fa-

pientiæ conſiliis quàm temeritate poſitum eſt. Nec dubitandi locus relinquitur ab ejuſmodi flagellatione, toto corpore nudato & carnis inciſione acuto ferro, interdictum iri ab Eccleſiâ, ſi cui carnis iſtiuſmodi vexationes aut attenuationes lege Dei prohibitæ, & jure naturæ vetitæ, delectationem adferrent.

Hanc objectionem alterius acceſſione cumulant aſſumptæ ex centuriis primâ & ſecunda Iſychii Preſbyteri Jeroſolymitani, qui tempore ſancti Gregorii Magni vixit, à quo Epiſtolam xl. accepit, iſtiuſmodi centuriæ non Græco idiomate quamvis hominis

Græci ſed Latino ſcriptæ habentur tomo vij. Bibliothecæ Patrum Binii anni MDCXVIII. In primâ numero xxxiij. hæc leguntur. *Hoc autem corpus inſervientem voluptatibus inquinare idcircò pro modo delicti flagellis & pugnis cædatur acerrimè velut ſervus fugitivus muſto plenus, in dorſo flagellis obnoxio, ne dominum tractet ut cauponem, ne corruptibile lutum in ancillâ obſcurâ ignoret dominam & corruptionis expertem.* In ſecundâ verò numero lxx. hæc habentur. *Væ interiori homini propter exteriorem: gravem enim moleſtiam internus homo contrahet ab externis ſen-*

sibus : tum ille molestiâ affectus flagellis castigabit. Qui executus est quod habet littera, jam novit quod theoremate continetur. Ex autographo Græco, si nobis suppeteret, facilè intelligeremus, hæc de bonis Græcis esse latinè scripta deteriùs. Ejusmodi autographum Græcum prorsus ignotum fuit Patriarchæ Photio qui recensitis omnibus Isychii Presbyteri libris, quos legerat, has centurias alto silentio prætermisit. Valdè igitur credibile est, Isychii alterius presbyteri esse, hominis non Græci, sed Latini, qui post tempora Petri Damiani vixit, adeoque jam adul-

tâ ætate flagellationum ſpontè receptarum. Niſi fortè, quod valdè credibile eſt, ex pugnis & flagellis intelligenda ſit figurata diverberatio, de quibuſvis macerationibus & attenuationibus carnis; uti capite 3. locum S. Petri Chryſologi enucleavimus.

Nec prætermittere debemus quod ait doctiſſimus Benedictus Haëftenius præpoſitus Affligemienſis diſquiſitionum Monaſticarum libro viij. tractatu v. diſquiſitione prima, pag. 825. de ſancto Guillelmo Aquitaniæ Duce, qui tempore Caroli Magni & Ludovici pii vixit diu ante tempora Petri Damiani,

Lectuli, duritiem avidiùs expetebat, corpus etiam flagellis cædebat; ut ex Ardone vitæ autore refert Menardus. Revera enim hæc refert Rev. & doctissimus Pater Hugo Menardus ex Ardone Monacho æquali sancto Guillelmo in vitâ sancti Benedicti Ananiensis Abbatis lib. 2. Observationum ad Martyrologium Benedictinum pag. 476. sed aliter res se habet in eadem vitâ ab Ardone sive Smaragdo scripta, quam publici juris fecit alter numquam satis à viris doctis laudandus sancti Benedicti Monachus Pater Joannes Mabillonius parte 1. sæculi iv. actorum Ordinis

ſancti Benedicti pag. 208. Ex eâ enim non liquidò intelligimus ſanctum Guillelmum corpus ſuum flagellis cecidiſſe, ſed dubitanter, & ex ſparſo rumore quorumdam hominum juſſiſſe ſe pro Chriſti amore flagellis cædi. *Aiunt nonnulli ſe quia ſæpè pro Chriſti amore flagellis cædi, nullo alio præter eum qui aderat conſcio juſſit.* Verumenimverò hanc vitam ab Ardone monacho conſcriptam longe auctiorem & ampliorem publicavit dictus Pater Joannes Mabillonius, ex antiquo codice manuſcripto Ananienſi, quàm in editis apud Menardum & Bollandum: adeoque

dubitandi locus non relinquitur his Ludovici pii temporibus flagellationes ſpontaneas & propriâ vapulantium manu factitatas nondùm erupiſſe.

Caput VI.

Primi Regularum Monaſticarum autores & Ordinum inſtitutores in Oriente & Occidente, nullas flagellationes voluntarias & ſpontaneas præſcripſerunt: ſed invitis & repugnantibus pro menſurâ criminum impoſuerunt.

S. Antonius ſolitariorum & monachorum princeps, quam ab ejuſmodi flagellationibus alienam habuerit mentem, intelligimus

ex vita ejus, quam ſcripſit ſanctus Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus. Enimverò cum ab eo ſubditi monachi vivendi formam ſeu regulam ad morum inſtitutionem petiiſſent cap. xv. cum Prophetica fiducia reſpondit ad omnem quidem mandatorum diſciplinam ſcripturas poſſe ſufficere. Porrò cum potiùs vetitæ quàm præſcriptæ ſint autoritate ſcripturarum ſanctarum flagellationes ceù diſciplinæ ſpontaneæ: quod ex his quæ antecedunt abundanter probatum reliquimus: conſectaneum neceſſarium eſt, ſanctum Antonium de iis flagellationibus non cogitaſſe,

nec usquam earum usum recepisse. Reverà enim in regula nomine dicti sancti Antonii scripta, quam publici juris fecit doctissimus Lucas Holstenius, Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, in codice regularum, nullum istiusmodi flagellationum vestigium occurrit. Regula Isayæ Abbatis in eodem codice non ampliorem mentionem facit, qui suppar sancto Antonio vixit. De isto Abbate honorificè meminerunt Rufinus lib. j. de vitis Patrum, & Palladius lib. viij. cap. 52. & lib. v. de verbis seniorum. In eodem regularum codice coutinuò se se offert regula

regula SS. Patrum Serapionis, Macarii, Paphnucii & alterius Macarii, in qua de solitaria humilitatis flagellatione fit mentio, capite scilicet xv. sub hoc titulo: *Qualiter culpæ singulorum emendentur. Si verò aliquis deprehensus fuerit in risu & scurrilitate sermonis, sicut ait Apostolus, quæ ad rem non pertinent, jubemus hujusmodi duarum hebdomadarum spatio, in nomine Domini omni flagello humilitatis coërceri.* At verò quis ex his verbis intelligat ejusmodi flagellationem non esse figuratam, sed veris ac solidis scuticis aut virgis factitatam? Continenti sermo-

ne secunda occurrit regula Patrum, quæ constat septem capitibus, in quibus ne verbum quidem de flagellationibus: quam consequitur tertia constans quatuor & decem articulis, in quibus flagellationes invitis sontibus inflictæ recensentur titulo nono & duodecimo. *Si quis verò monachus furtum fecerit, quod potiùs sacrilegium dici potest, id censuimus ordinandum, ut junior virgis cæsus, tanti criminis reus neutiquàm officium clericatus excipiat: si verò jam clericus in id facinus fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur; cui sufficere potest pro actus sui levi-*

tate impletâ pœnitentiæ ſatisfactione communio. Ex his enim faciliter intelligimus homines virgis cæſos à dignitate cleri fuiſſe remotos, adeoque hanc pœnitendi ſpeciem invitis ac reluctantibus impoſitam fuiſſe; non ſecùs ac ſupplicia ac tormenta, quæ Judicum Prætorialium autoritate imponuntur reis ac ſceleratis hominibus, qui vi & inviti mortis exactoribus ſe permittere coguntur.

Sanctus Macarius Alexandrinus Abbas Nitrienſis in Thebaïde, ſancto Antonio ſuppar, ſi non æqualis, regnante Conſtantino Magno, quem laudant ſanctus Hie-

ronymus Epistolâ xxiij. Socrates scolasticus lib. iv. historiæ capite xviij. Sozomenes lib. iij. capite xiij. observatque ei obtemperasse quinque millia monachorum, induratis & contumacibus monachis septa monasteriorum transilire conantibus pœnam flagri imposuit titulo xxvij. *Nam si quis in suâ voluerit perseverare nequitiâ & superbiâ, & dicat hîc, ego durare non possum; sed accipiam casulam meam, & eam ubi voluerit Dominus. Quisquis de fratribus eum hoc dixisse prius audierit, referat præposito, & præpositus Abbati, abbas coram omnibus fratribus resideat, & eam*

exhiberi jubeat, & virgis purgetur, & oratio fiat, & ſic ad communionem recipiatur. Et ſi quis ſanè non emendatur doctrinâ, virgis purgetur.

Sanctus Pacomius in regulâ quam dictante angelo accepiſſe refert Gennadius, iſtiuſmodi flagellationes ſpontaneas prætermiſit, ſolaſque invitò receptas à pueris, aut adultæ ætatis hominibus, commemorat, titulo ſcilicet, clxiij. *Qui habet peſſimam conſuetudinem ut fratres ſuos ſermone ſollicitet, & pervertat animas ſimpliciorum, tertiò commonebitur: ſi contempſerit, & obſtinato animo in duritiâ perſeveraverit, ſepara-*

bunt eum extra monasterium, & verberabitur ante fores, dabuntque ei ad vescendum foris panem & aquam, donec mundetur sordibus. De pueris verò sic fatur numero clxxij. *Omnes saltem pueri si non timent confundi pro peccato & per impudentiam judicium Dei non cogitant, & correpti verbo non emendaverint, verberentur quamdiu disciplinam accipient ac timorem.*

Sanctus Ovisiesius sancti Pacomii contubernalis, Abbas Tabennarum, de quo mentionem facit Gennadius in viris illustribus cap. xix. regulam integram exscripsit ex veteri & novo Testamen-

to; in quâ quidem cap. xiij. abuti autoritate præfectis monasterii magna cum curatione vetat: *nec abutamini*, inquit, *autoritate in supplicia.* Sed totius regulæ continuis articulis quinquaginta, de flagris aut flagellationibus spontè aut invitò susceptis ne verbum quidem prodidit. Quodquidem incredibile aut improbabile videretur, si ejus ætate flagrorum aut disciplinarum ascesis hodierna, nemine reluctante recepta fuerit.

Idem habet regula orientalis nuncupata, cujus autor fuit Diaconus Vigilius, cujus mentionem faciunt Gennadius libri de scriptoribus Ec-

clesiasticis capite lj. Sanctus Benedictus Abbas Ananiensis in Concordia Regularum; Smaragdus in expositione regulæ sancti Benedicti, Annales Trevirenses in Apologia Monasterii sancti Maximini. Septem & quadraginta constat hæc regula capitibus, in quibus non omittuntur correctiones, quibus plectebantur sontes monachi, sed nullibi de flagris aut scuticis, ut cumque fuerit tenuissima, mentio incurrit.

Sanctus Basilius Magnus Cæsareæ in Cappadocia Archiepiscopus, regulam conscripsit interrogationibus & responsionibus asceticis, &

monaſticæ rei conducibilibus confectam; in quibus de flagris aut flagellationibus ſpontaneis aut invitis prorſus nihil invenitur. Nec enim habendam eſſe rationem exiſtimo objectionis quæ ex oratione funebri ſancti Baſilii aſſumi ſolet apud ſanctum Gregorium Nyſſenum tomo 2. pag. 928. litt. B. ex qua intelligitur μαςίζων τε καὶ στρεβλῶν τὸν μαστιγίαν ἐκεῖνον δοῦλον τὸ σῶμα. *Flagellans & torquens verberonem illum ſervum corpus*. Quippe cùm ſanctus Gregorius Nyſſenus continenti ſermone explicet ejuſmodi flagellationem non ſolidis virgis aut ſcuticis factam fuiſſe, *ſed per*

ſummam mali tolerantiam atque continentiam, καὶ διὰ τῆς ἀκροτάτης κακοπαθείας τε καὶ ἐγκρατείας. Palladius Epiſcopus Helenopolitanus in hiſtoria Lauſiaca, ad vitam ſancti Arſiſii Abbatis, refert, in monte Nitriæ unam fuiſſe maximam Eccleſiam in qua tres erant palmæ, ex quibus unaquæque habebat flagellum ſuſpenſum, quorum unumquidem erat ad caſtigandos monachos qui deliquerant; alterum verò ad puniendos latrones ſi quando inciderint; tertium verò ad corrigendos qui fortè venerant & in aliqua delicta inciderant: adeò ut quicumque deliquerant &

convincebantur meruiſſe ut darent pœnas palmam amplecterentur, ut tergo præfinitas plagas acciperent & ſic dimitterentur. De flagris ſpontaneis nihil habet. Quæ cum ita ſint, abundanter intelligimus in Oriente omnes flagellationes ſpontaneas, pœnaſque propria aut alienâ manu inflictas, liberè & ſine repugnantia receptas, prorſus incogitabiles & ignotas fuiſſe. Jam verò an eadem agendi ratio in Occidente perſtiterit inquiramus.

Regula ſancti Benedicti articulo 70. vetat verbera ne cuiquam infligantur ſine licentia ſuperioris, ſive Ab-

batis. *Ut nulli liceat quemquam fratrum excommunicare aut cædere, nisi cui potestas ab abbate data fuerit.* Et continenter, sic ait, de correctione puerorum: *infantibus verò usque ad quintum decimum annum ætatis, disciplinæ diligentia adhibeatur & custodia sit omnibus.*

In hac regula nullum verbum incurrit de flagellationibus, & pœnis sursùm & deorsùm datis, nec in regula incerti auctoris in eodem codice regularum Lucæ Holstenii compacta, nec in regula Abbatum Pauli & Stephani. Regula sancti Tetradii Presbyteri, sancti Cæsarii

Arelatensis Archiepiscopi fratris aut sororis filii, quam dictante & suggerente prædicto Archiepiscopo, exceperat, istiusmodi flagellationes alto silentio prætermisit sive spontaneas, sive vi ac vapulante reluctante inflictas. Habemus insuper in eodem codice Holstenii regulam S. Aureliani Episcopi Arelatensis, quam scripsit tempore Childeberti Francorum Regis, Fundatoris Monasterii Arelatensis, quam à Papa Vigilio decessore suo confirmatam refert sanctus Gregorius Magnus lib. vij. Epistolarum 117. indict. 2. in qua nullæ præscriptæ & impositæ fla-

gellationes inventum habent, niſi ad reorum & ſontium hominum, emendationem, adhibitâ temperatione numeri plagarum ſecundum legem Moſaïcam. *Pro qualibet culpâ ſi neceſſè fuerit flagelli accipere diſciplinam, nunquam legitimus excedatur numerus, id eſt triginta novem.* Ex quibus perſpicere facilè eſt, quantùm his temporibus à flagrorum crepitaculis acerbis & contumeliosis, quibus hodie plerique ſibi nates, humeros, lumboſque cruentant; mentes humanæ alienæ conſtiterint: quibus, & plerumque Monachi in umbilico ſæculi undecimi, ſcopis armati, de

ſuo corio ludere, piè & religiosè cœperunt.

Regula S. Ferreoli Epiſcopi Uceticenſis, de cujus morte ſanctiſſima meminit Gregorius Turonenſis lib. 6. hiſtoriæ Francorum cap. 7. quam verò ſanctus Benedictus Ananienſis ferè integram in ſuam concordiam regularum traduxit, & Smaragdus Abbas ſancti Michaëlis ad explicationem regulæ ſancti Benedicti prodidit, habet in fine capitis 39. flagello cædendos eſſe monachos furti crimine poſtulatos, non ſecùs ac fornicationis vitio inquinatos. *Furti ſcilicet conſcium, ſi adhuc vocare poſſumus mona-*

chum quasi adulterum secundum, flagello subdi & magna censeri afflictione jubemus, dantes illi unam cum fornicante sententiam, quia & ipse luxuriatus est ne furaretur.

Sanctus Columbanus ut refert Ordericus Vitalis historiæ Normanorum lib. vij. qui primus in Galliis vitam Monasticam instituit, regulam conscripsit ad complementum regulæ sancti Benedicti, in qua capite x. de diversitate culparum, flagellationes pro culpis singulatim imposuit, & mensuram delicti plagarum numero commetitur, sed flagellationes spontaneas omnino præter-

misit. Culpas quasdam, impositis plagis ducentis compensat, *qui solus cum solâ fœmina sine personis certis loquitur familiariter, maneat sine cibo, vel duobus diebus in pane & in aqua, vel ducentis plagis :* quasdam sex tantummodo.

Monasterium Agaunense à Sigismundo Rege Burgundiæ conditum, ad gloriam ccxx. martyrúm legionis Thebeæ, cujus dux fuerat sanctus Mauricius sub imperio Maximini, sibi propriam, ac singularem habebat regulam sub titulo regulæ Tarnatensis, post regulam sancti Columbani in Codice Holste-

nii compactam, in qua nullum verbum occurrit de flagellationibus, seu pœnis, sivè spontè sivè invitò datis. Solummodò perstringit capite xiv. eos qui corde salaci oculos in mulieres conjiciunt. *Si verò admonitus emendare neglexerit, abbati est indicandum, ut àb eo emendatoriam habeat disciplinam*, per quam non flagra aut scuticas, sed objurgationem verbis ac lingua expressam, aut jejunium aut abstinentiam significat, quibus perperam impositis: extra septa monasterii contumacem vult relegari. *Si autem, inquit, non sic emendaverit, quasi ovis morbida à*

vestra societate projiciatur, ne exemplo suo alias perdat.

Regula sancti Isidori Hispalensis Episcopi, solitarios sontes, monachos & pueros, impositâ flagri pœnâ plecti decernit, cap. xvij. *In minori ætate constitùti, non sunt coërcendi sententia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiæ congruis emendandi sunt plagis.*

Regula S. Fructuosi Episcopi Braccharensis de qua mentionem faciunt Ecbertus in collectione Canonum edita inter Concilia Anglicana studio Spelmanni ad annum CCCL. & Burchardus Episcopus Wormatiensis lib. xj.

Decreti, flagellationes voluntarias seu spontaneas alto silentio prætermisit, solum præcipit cap. xv. *de lascivis & clamosis, si post jejunium & objurgationem contumaces fuerint, ut plagis emendentur instantiùs.* Et capite xvj. *De mendace, fure & percussore monacho, quod si à senioribus monasterii correptus, nec se emendare distulerit, tertio coram fratribus convenietur ut desistat tantisper errare. Si nec sic se emendaverit, flagelletur acerrimè & trium mensium spatio excommunicationis vindictam suscipimus.* Eandem pœnam continenti sermone ebriosis imponit & crimine pe-

dicationis inquinatis. *Monachus parvulorum & adolescentium consectator, vel qui osculo vel qualibet occasione turpi deprehensus fuerit inhiare, comprobata patenter per accusatores verissimos sive testes causâ publicè verberetur.* Capite verò xvij. sic habet, *de culpatis. Procaci autem & persistenti atque per superbiam vel controversiam deneganti acceptior & districtior animadversio flagellorum pœna irrogabitur.*

Continuò sequitur secunda Regula sancti Fructuosi monastica, communis vulgò nuncupata, in qua nihil occurrit de flagris aut disciplinis spontè aut invitò receptis.

Poſtea venit in manus regula Anonymi; ſub hoc titulo, *regula cujuſdem Patris;* de qua meminit ſanctus Benedictus Ananienſis Abbas in concordia Regularum & Smaragdus in explicationibus ad regulam ſancti Benedicti, in qua nulla etiam mentio flagrorum & diſciplinarum ſpontè aut vi receptarum occurrit.

Regula Magiſtri quinquaginta annis poſt regulam S. Benedicti conſcripta cap. xiij. *Quomodo debeat frater excommunicatus tractari:* conceptis verbis ſic habet. *Excommunicati vero fratres, ſi ita ſuperbi extiterint, & in ſuperbia cordis perſeverantes in tertia die*

hora nona ſatisfacere abbati noluerint, cuſtoditi, uſque ad necem cædantur virgis: & ſi placuerit abbati, de monaſterio expellantur, quia talis vita necesſarios non habet corporales vel ſocietas fratrum quos in anima ſuperba poſſidet mors. Nam meritò ergo tales debent plagis mactati expelli, qui eſſe cum Chriſto & humilitatis Domino non merentur.

Grimlaïcus preſbyter, autor Regulæ ſolitariorum, quam publici juris fecit Pariſiis in inveſtiganda antiquitate laborioſus, illuſtris Monachus ſancti Benedicti Congregationis S. Mauri Domnus Lucas Dacherius, præter

flagellationes à Dæmonibus impressas, nullas commemorat capite lxvj. *Nonnumquam autem & apertâ impugnatione grassantes dæmones humana corpora verberant, sicut B. Antonio fecerant.* At verò cum capite lxiv. suggerit remedia opportuna ad falsas imagines & pravas cogitationes comprimendas, nec flagra nec scuticas spontaneas præscribit : sed longa & acerba jejunia, sacram Scripturam memoriâ tenendam, legendum Evangelium, & diuturna meditatione reputandum. *Jejuna usque ad vesperam & memoriter retineas. Sed & alias animo meditare scripturas, ut si tibi*

tibi aſcenderit cogitatio mala, numquam deorsùm aſpicias, ſed ſemper ſursùm, & ſtatìm te Dominus adjuvabit. Præter hæc quæ recenſuimus, nihil invenire potui in antiquis regulis, aſceticis viris præſcriptis. Jam igitur regulas pro fœminis ac virginibus monialibus ſpeciatìm conſcriptas expendamus. Omnium antiquiſſimam habemus in Epiſtola cix. ſancti Auguſtini ex cujus conceptis verbis hæc de Præfecta intelliguntur numero xxij. *Diſciplinam lubens habeat, metuens imponat.* Quæ quidem non ſignificant flagra aut ſcuticas, ſed regulam morum in congregatione ſer-

vandam ad culparum animadversionem ceû emendationem, non secùs ac in regulâ sancti Pacomii articulo xxxij. *Unusquisque præpositorum docebit in domo sua quomodo debeant cum disciplina & mansuetudine comedere.* LVIII. *Nec vadant ad lavandum, nisi omnibus unum signum insonuerit, sequenturque præpositum suum, & lavabunt taciti cum disciplina.* & LXI. *Et omninò quicquid contra regulam scripturarum est & monasterii disciplinam audiet pater monasterii.* Regula nucupata, Orientalis, hæc habet initio, *ut neque seniores in regendis fratribus inaniter laborant, neque*

diſciplina juniorum vacillet. Eandem vocem diſciplinæ prodidit regula ſancti Benedicti articulo lxx. *Qui præſumpſerit aliquatenus ſine præcepto abbatis vel in ipſis infantibus ſine diſcretione exarſerit, diſciplinæ regulari ſubjaceat.* Idem habet regula monaſterii Agaunenſis articulo xviij. *Si verò admonitus emendare neglexerit, abbati eſt indicandum, ut ab eo emendatoriam habeat diſciplinam*, & regula ſancti Aureliani art. x. xj. & xxviij. Verumtamen fateri neceſſe eſt, hanc vocem *diſciplinæ* aliquando apud antiquos ſcriptores ſignificaſſe *flagella*, non quidem ſolitariam,

ſed cum acceſſione vocis *flagelli*, uti perſpectum habere facile eſt ex articulo xlj. regulæ ſancti Aureliani *pro qualibet culpa ſi neceſſè fuerit flagelli accipere diſciplinam numquam legitimus excedatur numerus, id eſt, triginta novem.* & capite xvij. regulæ ſancti Iſidori: *Si pro qualitate negligentiæ congruis emendandi ſunt plagis, ut quos ætatis infirmitas à culpa non revocat, flagelli diſciplinâ compeſcat.*

Regula ſancti Cæſarii Arelatenſis Archiepiſcopi virginibus ad vitæ aſceticæ normam præſcripta, de qua mentionem facit Gennadius in Scriptoribus Eccleſiaſticis ca-


pite lxxxvij. Cyprianus in vita Cæsarii, Gregorius Turonensis lib. ix. historiæ Francorum cap. xxxix. xxxx. & xxxxij. Venantius lib. viij. carmine j. de sancta Radegunde hæc habet art. xxiv. *Justum est ut legitimam disciplinam accipiant à quibus regulæ instituta violantur. Necesse est ut in eis impleatur illud quod de indisciplinatis filiis per Salomonem prædixit Spiritus Sanctus, Qui diligit filium assiduat illi flagellum, & iterum. In virga cum cædis animam ejus de inferno liberabis. Disciplinam ipsam in præsentia congregationis accipiant, secundum illud Apostoli. Peccantes coram*

omnibus argue. Verum hæc regula flagellationes spontaneas neutiquam spectat. Idem habent regula sancti Aureliani Episcopi Arelatensis de quâ honorificam mentionem facit sanctus Gregorius Magnus lib. viij. Epistola 118. & regula sancti Donati Vesontionensis Archiepiscopi, quam multis extollit laudibus Jonas Monachus in vita sancti Columbani cap. xiij. relata tom. iij. operum Venerabilis Bedæ. Hæc regula culpas indigetat quæ verberibus puniri debent & numerum plagarum pro modo culpæ cujuslibet impositum designat; voluntarias & spontaneas flagella-

tiones alto ſilentio immergit. Præter has quas commemoravimus regulas, nullæ ad noſtram notitiam pervenerunt, niſi forte acceſſione regulæ cujuſdam patris Anonymi in Codice regularum Holſtenii relatæ quas recenſuimus cumulare velis, de quo etiam mentionem faciunt ſanctus Benedictus Abbas Ananienſis in Concordia regularum, & Smaragdus Abbas ſancti Michaëlis in Lotharingia in ſuis explicationibus regulæ ſancti Benedicti. Inſuper enim hæc anonymi regula ſolitarias flagellationes involuntarias & invitò receptas ſpectat capite ſcilicet xx.

Soror si sæpius correpta emendare noluerit, excommunicatione pro modo culpæ corrigatur, sic nec sic aliquid proficiat increpantis correptio, tunc verberum vindictæ subjacebit. Habemus etiam in fine Codicis regularum Holstenii duas regulas, quarum una S. Leandri Hispalensis Episcopi nuncupatur; altera verò sancti Elredi Abbatis Rievallensis in Anglia Diœcesis Eboracensis: sed non tam regulæ sunt, quàm institutiones & consilia ad efformandam virginum vitam, in quibus nihil de his flagellationibus invitis aut spontaneis occurrit. Quæ cum ita sint, concludere necesse

eſt, nullos Ordinum monaſticorum inſtitutores, monaſteriorum fundatores, regularum autores, uſquam de flagellationibus ſpontaneis cogitaſſe, adeòque iſtiuſmodi pietatis genus, quo plerique ſibi noſtris temporibus corium ſcuticis aut verberibus affatìm cruentant, ac vibicibus conſcribillant, prorſus ignotum & incogitabile fuiſſe.



Caput VII.

Flagellationum spontanearum usus non inventus ante annum Christi 1047. aut 1056. quo floruit Petrus de honestis Damiani dictus: nec receptus sine magnâ Virorum Illustrium repugnantiâ. Istiusmodi flagellationes primulùm inventæ visæ sunt nimiæ & immoderatè profusæ. Quosdam virorum sanctorum actus imitatione consequi non numquam anceps & periculosum. S. Bruno Cartusianorum Patriarcha ascesim disciplinarum ceû flagellationum spontanearum prorsùs repudiavit.

EX his benè ac sapienter subjectis, quæ in anterioribus capitibus observavimus, faciliter intelligimus ne-

minem hominem ex SS. Patribus in pulvere antiquitatis ſulcum minimum diduxiſſe flagellationum & verberum ſpontè & propriâ manu inflictorum, ante ſæculum xj. quo floruit Petrus de honeſtis Damiani dictus, quia fratrem habuit Damianum, qui factus fuit Epiſcopus Oſtienſis, & Cardinalis renuntiatus à Pontifice Romano Stephano nono anno Chriſti 1057. mortuuſque eſt ætatis 66. februarii 23. anno Chriſti 1072. Eâ enim ætate pietatem, ceû tenerum affectum erga res ſacras aſperatum fuiſſe & plagoſum evaſiſſe non dubitandum eſt. His quippè tempo-

ribus ac continuis, armati ſcopis & flagellis homines cucullati, virgis, ſcuticis, ac ferulis Deum immortalem de ſuo corio ludentes, primulùm propitiare ſibi viſi ſunt: utì rotundè fatetur doctiſſimus Cardinalis Baronius Annalium Eccleſiaſticorum tomo xj. anno 1056. numero viij. *Eodem quoque*, inquit, *tempore & ſi non eodem autore, Petro ſcilicet Damiani, tamen certo propagatore, introductus eſt in Eccleſia ille laudabilis uſus, ut pœnitentiæ causâ fideles verberibus ſeipſos afficerent, flagellis ad hoc paratis idoneis. Exemplo beati Dominici Loricati ſibi ſubditi ſanctiſſimi eremitæ:*

teſtatur id quidem ipſe Petrus Epiſtolâ ad Blancam Comitiſſam. Plurimùm reipublicæ litterariæ gratificatus fuiſſet Cardinalis doctiſſimus, ſi nomen autoris, præter Petrum Damiani indigetare voluiſſet, iſtiuſmodi flagellandi uſus, quem ejus ætate introductum fuiſſe in Eccleſia libenter fatetur. Verum enim verò ex ſcriptis Petri Damiani abundanter intelligimus non poſſe flagellandi ritum eo tempore introductum in exemplum fidelibus proponi ad imitandum & ad ſimilitudinem deducendum. Reverâ enim flagellationes ab eo relatæ adeò ſunt immenſæ & profuſæ &

immoderatæ, ut vires humanas prorsus superent, & sine miraculo earum usum viri fortissimi subire neutiquàm possint. Quippè refert sanctus Petrus Damiani in vita sancti Rodolphi monachi, & postea Episcopi Eugubini, sanctum virum sibi centum annorum pœnitentias imposuisse, quas vibicibus, allisione scoparum & virgarum impressis, viginti dierum spatio complebat. *Sæpè pœnitentiam centum suscipiebat annorum, quam per viginti dies allisione scoparum, cæterisque pœnitententiæ remediis persolvebat.* Integrum Psalterium quotidiè recitabat, semel saltem & bis nullo di-

ſtentus impedimento, inter horrendum flagrorum crepitaculum utraque manu ſcopis armatâ, tergum & fœmora, cæteraſque corporis partes, nullâ erga ſeipſum tractabilis voce miſericordiæ, cruentabat. *Pſalterium quotidiè cum duo non poſſet*, inquit Damiani, *unum ſaltem non negligebat implere. Quod nimirum cum eſſet in cellulâ conſtitutus armatâ ſcopis utraque manu, totum cum diſciplina continuare conſueverat.* De eremita Anſone Dominico, ſcilicet Loricato dicto, eo quod loricam ferream loco indumenti cucullati induerat, non minus horribilia re-

fert capite viij. *Hanc autem vitæ consuetudinem indifferenter habet, ut vix utraque manu scopis armata nudum, corpus allidat, & hoc remissiori tempore. Nam quadragesimalibus circulis, sivè cùm pœnitentiam peragendam habet, crebrò centum annorum pœnitentiam suscipit. Tunc per dies singulos, dum se scoparum tunsionibus afficit, ut minus tria psalteria meditando persolvit.* Continenti sermone, modum refert perficiendæ pœnitentiæ centum annorum à Dominico Loricato sibi explicatum: observatque hominem integro tempore quo viginti psalteria recitabantur, vapulan-

tem pœnitentiam centenariam explevisse. *Consequitur ergo ut qui viginti psalteria cum disciplinâ decantat, centum annorum pœnitentiam se peregisse confidat.* Insuper addit Dominicum Loricatum, ambidextrum fuisse, adeoque se se utraque manu affatìm diverberasse, cum alii unicâ tantùm manu vapularent. Dicit toto tempore quo duo psalteria integra recitabantur, ex more vapulasse, unaque vice dum canebantur octo adeoque vultum suum livore & sanie flagrorum ictibus deformasse, ut ipsum internoscere non potis esset. Ait capite x. Dominicum Loricatum inter

flagra duodecim pſalteria recitaſſe quadam die, *quod certè*, inquit, *cum audivi tremefactus expavi*. Refert capite xj. dictum Loricatum mutationem feciſſe modi cædendi ſe virgis, in ſcuticas multo aſperiores, atque ejuſmodi conſuetudinis æſtui aſſueviſſe. Obſervat ſi quandoque extra ſepta monaſtrii proficiſceretur, ejuſmodi flagellum in ſinu occuluiſſe, ne verberibus quocumque cubitum diſcederet, vacaret. *Hoc flagellum ſi quando egrederetur, portabat in ſinu, ut ubicumque eum jacere contingeret, à verberibus non vacaret*. Et ſi forte integrum corpus nuda-

re non poſſet, ſaltem ſuras, collum, ac femora, cervicem, ac caput nervosè flagellabat. *Aliquando cum loci occaſio non præberet ut totum ſe poſſet exercere, per crura ſaltem & fœmora per caput atque cervicem non ſe ceſſabat affligere.* Inſuper refert ex Damiano ſanctus Antoninus, ſecundo volumine partis hiſtorialis titulo 16. cap. viij. fol. 102. morem inoleviſſe, *ut non ſolum viri, ſed & nobiles mulieres hoc purgatorii genus inhianter acciperent; relictamque Cechaldi mulierem magni generis & magnæ dignitatis, retuliſſe, ſibi ſe per præfixam hujus regulæ diſciplinam pœnitentiam centum annorum*

peregisse, tribus disciplinarum millibus pro uno computatis anno.

Ex hujusmodi relatione quis non sibi persuadeat quam sit horribile & extra vires humanas positum hoc flagellandi genus, quod omnem imitationem incredibiliter vincit? Hæc dedit exempla posteris Petrus Damiani, suisque libris conscripsit insueta & insolentia, ut jussis obtemperaret Alexandri II. summi Pontificis, qui ab eo quædam posteritate digna ac monumentis publicis asservanda, ut litteris mandaret, postulaverat. Ipsemet Petrus Damiani vitas scripsit S. Odillonis Ab-

batis Cluniacensis, Mauri Episcopi Cæsenatensis, & Romualdi Abbatis & Institutoris Ordinis Camaldulensis; in quibus refert singulares vexandæ carnis artes, queis viri μεγαλώνυμοι suo tempore Ecclesiam illustrarunt. Sed de flagellationibus spontaneis nihil refert. Porrò ex his intelligere facile est, sanctissimos viros ejusmodi flagellationes imitatione consequi non posse sibi persuasisse. Quæ cum ita sint, nullum consectaneum ex his assumendum videtur in gratiam flagellationum quibus se plerique nostra ætate exercent & quæ in claustris ab hominibus cucullatis &

monialibus sursùm aut deorsùm factitantur. Adversus has flagellationes, cùm primùm institutæ sunt, multi contradixerunt, uti ex Epist. xxvij. Petri Damiani intelligimus ad Petrum cerebrosum hujusce ætatis monachum, qui quidem ejusmodi flagra vehementer sugillabat, ac quasi ludicra, pipulo differebat. Ejus objectis respondere coactus est Petrus Damiani. Sed cum ei incumberet probare flagellationes spontaneas ac propria manu vapulantis factitatas usu recipiendas esse, tantummodò probavit flagellationes invitis factas authoritate scripturæ confirmari:

nec aliud defendere auſus eſt, niſi quemlibet ſibi propria manu infligere poſſe quod alienâ ſibi inflictum Dei juſſu ſuſtinere tenebatur.

Reverà ſi Petrus Cerebroſus omne flagellationum genus ſive ſpontè ſive invitò factitatarum confutare voluit, cauſam injuſtam & improbabilem egit: juſtamque & probabilem Petrus Damiani tuendam recepit; ſed ſi Cerebroſus immenſis & profuſis flagellationibus & non repugnantibus impoſitis tantummodo voluit adverſari, reſponſio Petri Damiani imbecilla & ſupervacanea videatur neceſſe eſt. Verumtamen

valdè probabile est Petrum Cerebosum ad solas flagellationes profusas & nimis asperatas, animum intendisse, quibus toto tempore quo psalterium recitabatur, se exercebant verberones; minimè verò repugnasse iis quæ ad culparum propitiationem erant impositæ & in ascetarum capitulis factitatæ. Hoc enim abundanter intelligimus ex conceptis verbis hujus Epistolæ Petri Damiani. *Tu quoque non disciplinæ regulam, sed longioris disciplinæ detestaris insaniam; nec improbas cum disciplinâ dici psalmum, sed perhorrescis ut continuetur psalterium.* Continenti sermone à

Petro

Petro Cerebroſo explicationem mentis efflagitat, & percontatur ab eo, utrum flagellationes in capitulis factitatas & pro peccatis eluendis impoſitas reprobet. *Sed dic obſecro, Frater, ut cum tua pace loquar, deteſtaris illas quæ ex more fiunt in capitulo diſciplinas? Damnas fortaſſis & hoc quod ſæpè patri de levi qualibe offenſione confeſſo vicenas fortaſſe vel ut multum quinquagenas verberum plagas ſubire præcipimus.* Summa igitur diſputationis inter Petrum Damiani & Petrum Cerebroſum eò devolvitur, ut flagellationes ſpontaneæ & profuſæ, improbabiles eſſent, & à viris

piis ac mentis compotibus defendi non poſſint : quæ verò è contra pro modo culparum impoſitæ ſunt, nec propriâ vapulantis manu infliguntur ſed alienâ, juſtæ ſint & legitimæ ad tuendam morum ſanctitatem & piam ac religioſam monaſteriorum inſtitutionem conducibiles & neceſſariæ : quippè lege Dei confirmatæ & longo omnium Eccleſiæ Catholicæ ſæculorum uſu receptæ & comprobatæ. Verùm multâ cogitatione reputandum mihi videtur, numquam Petrum Damiani crimen erroris aut hæreſis Petro Cerebroſo intuliſſe, neque Stephano Cardi-

nali, quem piæ memoriæ virum appellat qui flagellationes ſugillando deriſerat & iis penitùs interdixerat, quamvis ea de cauſa in repentinæ non improviſæ mortis lethi ſuſpicionem venerit, immò verò cariſſimum filium aut cariſſimum fratrem in ſocietatis Chriſtianæ & neceſſitudinis argumentum ſemper appellat, uti conſtat ex Epiſtola xxviij. & hac quam expendimus; *Sed dic obſecro, frater, & cum tuâ pace loquar.* Et opuſculo 42. de laude flagellorum, ad fratres Caſſinenſes : ejuſmodi enim verborum ſuavitas ampliſſimè teſtificatur adverſarios Petri de

Honeſtis ſive Damiani in re flagellatoriâ viros honeſtos fuiſſe, ſuâ pietate, ac religione perinſignes, & commendatione dignos. Hæc verò omnia aſſumenda ſunt ad concludendum flagellationes ſpontaneas non ſine repugnantiâ rationabili principio factitatas fuiſſe, adeòque vitio novitatis laboraſſe, & plagoſam aſceſim adeò ſenſibus ſubjectam, non ſensìm ſine ſenſu, in mundum conſopitum irrepſiſſe. Reverà Petrus Damiani, Rodolphus Epiſcopus Eugubinus & Dominicus Anſo Loricatus ſancti ſunt, multâ commendatione digni, quiquidem humanas vires fla-

gellationibus ſpontaneis, infinitis & profuſis exercuerunt, non ſecus ac ſanctus Galbertus Abbas Pontiſarienſis ex cujus vitæ numero x. hæc verba exſcripſit Dominus du-Cange in ſuo Gloſſario ad ſcriptores mediæ & infimæ latinitatis *ex nodoſis & corrigiis flagello confecto, ſeipſum adeò durè diſciplinavit*; nec tamen minus ſunt ſancti, Benedictus, Columbanus, Ferreolus, Fructuoſus, Bruno Cartuſiæ Fundator, & Guygo ſolitudinis inſtaurator, & infiniti alii antiquæ & mediæ ætatis eremitæ illuſtres, quos ſupra recenſuimus, qui ab ejuſmodi flagellationibus abſtinue-

runt. Ipse sanctus Petrus Damiani non recusavit scribere, Sanctorum non plagosorum nec se flagellantium, Odillonis Abbatis Cluniacensis, Mauri Episcopi Cæsenatensis, & Romualdi Abbatis, vitas; non secus ac eorum qui suam carnem flagris & scuticis mirabiliter cruentarunt & omnem imitationem vicerunt. Equidem scio celeberrimum ordinis sancti Benedicti Ascetam, & doctissimum Monasterii Affligemiensis præpositum Benedictum Haëftenium fortiter defendisse tempore Romualdi usum disciplinarum tritum & receptum fuisse apud Camaldulenses in

Disquisit. monast. lib. viij. disquisit. j. tract. v. pag. 825.

Sytria, & nervosè vindicasse ex capite lxiv vitæ hujus sancti quam scripsit Petrus Damiani, & refertur ejus operum tom. 2. pag. 354. Sed luce meridianâ clariùs patet S. Petrum Damiani eo loci non spectasse spontaneas flagellationes, sed pro delictis impositas, quas inter se invicem tunc temporis faciebant non solum monachi, verum etiam eorum in Sytria famuli. Insuper ætas sancti Romualdi non adeò antecellit ætatem Petri Damiani. Obiit enim Romualdus xiij. Kalend. Julii, regnante sancto Henrico secundo Imperatore, sanctæ Cunigundis conjuge, anno

Christi circiter 1024. ipse verò Petrus Damiani anno 1072. ætatis 66. Nec obstat exemplum quod proferri solet sancti Bernardi Abbatis Clarevallensis qui diu post ætatem Petri Damiani obiit anno scil. 1153. ætatis 63. 20. Augusti: Ex cujus Epistola 69. ad Guidonem Abbatem de tribus fontibus intelligimus, impositas fuisse disciplinas ceû flagellationes. *Pro pœnitentia tibi injungimus septem pœnitentiales psalmos quotidiè usque ad Pascha septiès prosternendo decantare, septem disciplinas accipere.* Ejusmodi enim disciplinæ non erant spontaneæ sed ad delicti mensuram im-

positæ. Quippè ſacrum fecerat iſte Guido ſine admixtione vini cum aqua, in eoque cum aliis ſacrificii miſſæ miniſtris peccatum non levi pœnitentiâ expiandum commiſerat, quamobrem adjungit S. Bernardus *in hunc modum ſatisfaciat & ille qui tibi & illam miſſam miniſtravit. De illo autem qui ſibi ante apparuerat & oblitus eſt mittere vinum in Calicem, cujus & majorem in hoc æſtimamus culpam, ſi tamen & tu ita putas, tuo arbitrio derelinquimus. Sanè ſi ſermo exiit inter fratres, & ipſi omnes ſinguli ſingulas accipiant diſciplinas.* Inſuper non hic mentio eſt diſciplinarum propriâ vapu-

lantium manu inflictarum, sed pœnarum, flagrione quodam plagoso diverberante datarum: ad obtemperandum legibus sancitis art. lx. regulæ sancti Benedicti, & xxiij. regulæ sancti Cæsarii Arelatensis Archiepiscopi cap. vj.

Jacobus Gretzerus, Jesuita doctissimus, in multis quos scripsit libris ad tuendam spontanearum flagellationum ascesim, quas cum omnibus speciebus vexationum carnis miscuit, scilicet ciliciis & setis horrentibus indusiis, quorum usum à majoribus nobis relictum fuisse dubitandi locus nemini homini docto tantisper moribus antiquis & ri-

tibus Christianis assueto ullus relictus est. Contexuit insuper catalogum virorum sanctitate & pietate insignium, quibus his flagellationibus corium suum corradere placuit. Scilicet cap. v. libri sub titulo *virgindemiæ Volcianæ* pag. 116. typis impressi Ingolstadii anno MDCVIII. Primum prodidit sanctum Anthelmum Episcopum Bellicensem cujus vita legitur apud L. Surium tom. 3. scripta ab autore anonymo sancti Anthelmi necessario & amico, in qua hæc verba habentur. *Quotidiè creberrimis virgarum ictibus cædebat dorsum, & latera plagasque plagis cumulando numquam*

patiebatur cutem livoris expertem aut cutem integram manere. Verùm nihil incurrere poteſt mirabile in hoc ſancti Anthelmi plagoſo exercitio, quippè cùm inclinato ſæculo xij. vixerit, ſcilicet, elapſis centum annis poſt Petrum Damiani & Dominicum Anſonem Loricatum. Non enim eruperant ejuſmodi flagellationes ante ſæculum undecimum aut valdè inclinatum decimum, præſertim apud Cartuſianos quorum ſocietati nomen dederat, & in contubernium receptus fuerat dictus Anthelmus hujus Ordinis ſeptimus præfectus generalis, cujus in conſtitutioni-

bus ejuſmodi flagellationum nec vibex nec pilus incurrit.

Idem Gretzerus alterum profert exemplum exſcriptum è vitâ ſancti Guidonis Monachi Pompoſiani, tomo vij. Surii, ex quo intelligimus Heribertum Archiepiſcopum Ravennatenſem conſilio cæpto ſolo adæquandi monaſterium Pompoſianum occaſionem præbuiſſe ſancto Guidoni ac ſociis monachis *quotidiè acriter ſe cædendi virgis in domo capitulari*. Hoc teſtimonio antiquius inveniri non potis eſt in ritu Chriſtiano, nec magis propitium flagellationibus ſpontaneis, quippe cum mortuus ſit iſte ſanctus

monachus Guido anno Christi 1047. quarto nonas Aprilis, expletâ præfecturâ monasterii Pomposiani anno administrationis 48. scilicet octo annis ante annum 1047. quo flagellationes ex umbilico sæculi undecimi se se extollere & radices agere visæ sunt. Idem Jesuita hoc exemplum aliorum accessionibus cumulat, scilicet S. Andreæ Episcopi Fæsulani qui vixit anno 1310. & obiit 1373. ex tomo 1. L. Surii, sancti Laurentii Justiniani, Popponis Abbatis, sanctæ Mariæ Ogniacensis, quæ vixit anno 1190. sanctæ Harduigis Ducissæ Poloniæ anno anno 1200. sanctæ Hildegar-

dis 1160. quæcum post sæculum undecimum eruperint, negotium quod tractamus non spectant. Verumtamen exemplum quod profert militis cujusdam pœnas dare postulantis tempore sancti Genulfi prætermittere non licet regnante Hugone Capeto in Galliis, scilicet nondum exorto sæculo undecimo ab anno 987. ad 996. quo mortuus est 29. Augusti vel 22. Novembris in vita S. Genulfi capite 26. in libro sub titulo bibliothecæ Floriacensis publici juris facto Lugduni à Patre Joanne à Bosco Ordinis Cælestinorum anno 1605. *Cùm verò memoratus Dux* Hugo Capetus,

assumpto jam regno ad urbem Pictavam exercitum duceret, Willelmo Pictaviensi Comite præter objectionem Caroli & injustam ut videbatur assumptionem regni ei nolente subdi, pars exercitus ejus per vicum dicti Stradensis transitum habuit, cæteris pertranseuntibus unus ex exercitu duos quidem pauperculæ rapuit panes. Exclamare mulier & sanctissimum cœpit invocare Genulfum. Nec mora pusillùm progressus eques, illius corruit equus, graviterque collisus inutilis effectus est. Ipse autem mox lumine captus est. Interea commilitones collegæ sui reatum

cognoſcentes, ociùs ad monaſterium repedarunt. Confitetur ille delictum ſuum; veniam culpæ coram Sancto depoſcit; adfuit & mulier cui damnum intulerat, *quam ille juxta modum culpæ dignâ ſatisfactione placavit.* TUM DEINDE VERBERA PROFERT, *& omnimodis precibus inſtat ut his excruciato corpore, ab illo cæleſtis vindictæ vinculo ſolveretur.* Ad hæc verba DEINDE VERBERA PROFERT, Joannes à Boſco hanc notam è regione inſcripſit, *vide tum eo tempore uſum flagellorum ceû ut loquuntur, diſciplinarum apud pœnitentes.* Sed hoc ſolùm pro-

bat ascesim flagellationum invitarum ceû pœnarum quas dare solent rei & sontes furciferi ab omni ævo receptam & lege Mosaïcâ præscriptam, quarum exactoribus se permittebat ille miles latro. Nec faciliùs ex hoc erumpunt flagellationes ceu disciplinæ spontaneâ propria manu in plerisque monasteriis inflictæ, quam ex pumice aqua.

Idem pater Joannes à Bosco secunda parte Bibliothecæ Floriacensis prodidit sermonem de sancto Medardo Episcopo Noviomensi & sancto Gildardo Rothomagensi fratre ejus, qui in vivis erant ineunte sexto, sæculo scilicet cir-

ca quingenteſimum annum & vigeſimum, ex quo uſum flagrorum circa annum quingenteſimum Chriſti perfectum fuiſſe intelligere facile videtur. *Sine ferro etenim longum Martyrium in ſuis pertulerunt membris ut quod ſanguis non contulerat, conferret effuſio etiam prolixa* EX ATTRITIONE FLAGELLI *membrorum vexatio.*

Sed quis non videat ſermonem ejuſmodi auctoris eſſe anonymi recentioris & ſæculo undecimo aut duodecimo inferioris, ſive quingentis aut ſexcentis annis ab ætate ſanctorum Medardi aut Gildardi, quorum unum dignitate

Archiepiſcopi ſcilicet Gildardum exornat præter uſum & mores ſexti ſæculi, alterum vero ſcilicet Medardum Noviomenſem Epiſcopum ſuffraganeum appellat, qua voce ante ſæculum octavum neminem hominem uſum eſſe perſpectum eſt. Quæ um ita ſint nullus dubitandi locus relinquitur quin hujus ſermonis autor poſt receptum diſciplinarum aſceſim ſcripſerit, & eas ſanctiſſimis viris inter vexationes carnis ſuâ ætate receptas adſcripſerit, ſicut bardi & ignari pictores imaginibus anacoretarum Syriæ & Thebaïdis flagella & ſpherulas precatorias agglomeratas af-

fingere solent. Insuper habemus in eodem volumine bibliothecæ Floriacensis p. 113. vitam sancti Medardi à fortunato presbytero scriptam & alteram apud Laurentium Surium & in annalibus Baronii scriptam, in quibus nulla mentio flagellationum, neque in carminibus sancti Audoëni Rothomagensis Archiepiscopi recensitis apud Surium in laudem prædictorum sanctorum sicut nec in duobus aliis sermonibus qui in eadem bibliothecâ Floriacensi incurrunt.

De cætero non possumus diffiteri in magno discrimine eos versari, qui omni discri-

mine remoto, ſingulatìm omnes actus virorum ſanctorum imitatione conſequi præſumerent. Maximam facit nobis admirabilitatem Simeon Emiſſemus apud Evagrium ſcholaſticum, qui ſe reum faſſus criminis obſcœni, ſcilicet ſtupri illati mulieri, ac rei ſæpiùs cum eâ habitæ. Sed omnem imitationem adeò vicit humilitas, ut eum aſſequi incogitabile videatur. Sanctus Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis, ut refert doctiſſimus Claudius Eſpenceus Theologus Pariſienſis illuſtriſſimus, lib. j. de continentiâ cap. xj. ex catalogo ſanctorum Petri Natalis Epiſco-

pi Equilini lib. x. cap. lxviij. & Surio ad diem xvj. Novembris pag. 368. cum à puella quadam Parisiis ad stuprum instigaretur, ubi tunc temporis studiis vacabat, eam ad suum musæum excivit, ibique spoliatam virgis cecîdit, ac nudatum corpus cruentis vibicibus conscribillavit. Idem fecisse sanctam Bernardinum Senensem ex vitâ ejus intelligimus apud Surium die xx. Maii pag. 272. adversus conjugem cujusdam civis Senensis, in quâ hæc verba leguntur: *Cum Bernardinus quandoque panis emendi causa exiisset, hæc fœmina, scilicet civis Senensis conjux, illum ad se accersi-*

vit: eoque ingresso fores clausit, & ait, nisi te accommodes jam voluntati meæ, equidem insigni te ignominia afficiam, dicamque te mihi vim inferre voluisse. Tum Bernardinus in eas se angustias conjectum cernens, tota animi devotione intra se rogabat Dominum ut in tàm præsenti periculo ipsi non deesset: facinus enim illud valde execrabatur. Non neglexit Deus preces servi sui: suggessit mox consilium ut diceret mulieri si vellet ita fieri ut se vestibus nudaret. Dixit hoc ille, nec mulier distulit: interim profert ille flagellum quod apud se habebat apprehensamque fortiter fœminam, egregie cædere cæpit, nec destitit donec ardor libi-

libidinis in ea extinctus est. Ea causâ impensius mulier amavit sanctum virum itemque maritus ejus, ubi comperit rem ab eo gestam. Proximè elapso sæculo frater Matthæus Avenionensis ex ordine capucinorum, qui in insulâ Corsicâ summæ virtutis ac sanctitatis famâ inclytus, obiit anno 1564. à nobili quadam & excellentis formæ puellâ incassùm sollicitatus ad venerem, quæ nocte quadam spoliata suis vestibus, ad eum in spondâ jacentem accesserat, in quodam Castello Provinciæ Pedemontanæ ubi mendicandi causa substiterat; armatâ manu eandem flagello nodis

asperato ex funibus iberis compacto, tamdiu diverberavit, totque vibicibus sulcos sanguinolentos in juvenilibus femoribus, clunibus ac scapulis diduxit, ut non solum suffuso vi pudoris, verùm etiam effuso vi doloris sanguine fugaverit. Inter exempla tam infaustæ notitiæ recensere non pertimescam, historiam hominis cucullati & cordigeri conventus Brugensis anno circiter MDLXVI. cui nomen erat Cornelio Adriasem origine Dordracensis, adversus hæreticos Guezios stomachosissimi concionatoris; qui puellas ceû fœminas quasdam sacramento fi-

delitatis & obedientiæ ſibi adſtrictas & ſpecie pietatis devotas non quidem aſperatis & nodoſis funibus verberabat, ſed nudata earum femora: & nates inhoneſtis vibicibus rorantes virgis betuleis aut vimineis ictibus molliter inflictis perfricabat uti refert Emanuel Meteren hiſtoriæ Belgicæ, fol. cliij. & cliv. edit. Amſtelodamenſis anni 1570. Iſte morio cucullatus jura ſibi vindicatum ire putabat flaminum ceû pontificum Romanorum, qui Veſtales virgines ob extinctum ignem perpetuum & æternum verberibus excipiebant, & duris vibicibus ſulcabant, uti intelli-

gimus ex Dionysii Halicarnassei libro ix. de Urbinia virgine, quam ante legem Porciam pontifices virgis ceciderunt traductamque per urbem vivam defoderunt. ῥάβδοις τε ἐμαστίγωσαν καὶ πομπεύσαντες διὰ τῆς πόλεως ζῶσαν κατώρυξαν. Et ex Valerii Maximi libro 1. titulo 6. *Addendum his quod publio Licinio Pontifici virgo vestalis quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset digna visa est quæ flagro admoveretur.*

Julii obsequentis prodigiorum libello capite lxij. *Vestæ penetralis ignis extinctus virgo jussu M. Æmilii Ponti-*

ficis Maximi flagro cœsa negavit ulterius interiturum supplicationibus habitis.

Pompeii festi lib. 9. numero 15. pag. 182. *Ignis vestæ si quando extinctus esset virgines verberibus afficiebantur à pontifice.*

Rosini Antiquitatum Romanarum lib. 20. capite xiij. pag. 159.

Fortunii Liceti de antiquorum lucernis reconditis passim lib. 1. & 6.

Josephi Laurentii Lucensis Polymatias lib. 2. dissertatione 32. pag. 151.

Jacobi Gutherii de vetere jure pontificio lib. 2. cap. ij.

Ipsam denique flagellandi

ascesim Petri Damiani imitatione consequi turpissimum & supervacaneum videretur. Quippè quâ præscriptum erat nudatis corporibus & omni stamine spoliatis, palàm & in conspectu hominum se flagellare; uti intelligimus ex opusculo quadragesimo secundo, deditâ operâ adversus monachos Cassinenses conscripto, qui timore ac pudore suffusi ab ejusmodi flagellandi ritu benè ac sapienter destiterant. Enimveò obscœnis ejusmodi flagellandi modis penitùs monachis interdictum fuerat Conventus Aquisgranensis Canone XVI. anno 817. Ludovici Pii Imp.

IV. Peſſima enim iſtiuſmodi flagellandi ſcientia, paucos juvare, multos perdere videretur, *ne nudi coram aliis vapulent monachi, ut nudi pro qualibet culpa coram fratrum obtutibus non flagellentur*, Tomo 2. pag. 436. hujuſce Conventus rationibus obtemperatione laudabili morem geſſerunt S. Lanfrancus ſtatutor. cap. 19. *Suſcepturus judicium aut ſolâ groſſiori virgâ ſuper ſtamineam verberetur:* & monachi Affligemienſes in Belgio, quorum antiquo rituali præſcribitur ut in quotidianis diſciplinis ſtamineâ indutus ſuper reliqua veſtimenta ſua toto ſuo corpore proſtra-

tus jaceat flagellandus monachus, ut refert doctissimus ordinis S. Benedicti præpositus Affligemiensis Jacobus Haëftenius Disquisition. Monasticarum lib. 8. disquisitione v. paginâ 830. edit. Antuerpiensis anni 1643. Ipsos Gentiles suffusus à naturâ pudor, diu ante cohibuerat ne tàm petulanter de humano corio luderent. Artaxerces enim Xercis filius, Longimanus cognomento, primus instituit, ut cùm Principes viri supplicio flagri afficerentur, non corpora sed vestes quibus se exuissent, flagellarentur. Uti refert Plutarchus in Apophtegmatis Regum &

Imperatorum tom. 2. pag. 173. litt. D. edit. Wecheli anni 1599. Ἀρταξέρξης ὁ Ξέρξου ὁ μακρόχειρ προσαγορευθεὶς, πρῶτος δὲ τοῖς ἁμαρτάνουσι τῶν ἡγεμονικῶν τιμωρείαν ἔταξεν, ἀντὶ τοῦ τὸ σῶμα μαστιγοῦν μαστιγοῦσθαι μὲν ἀποδυσαμένων τὰ ἱμάτια. Olìm ante tempora Hadriani I. Pontificis Maximi, viri pœnitentiæ præfecti, homines ad exomologesim accedentes flagellare solebant, eo quippè ritu plagoso ab eo Pontifice Episcopis, Presbyteris & Diaconis interdictum est, uti intelligimus ex Epitome Canonum, ex regulis Sanctorum Patrum capite xxv. *Episcopus Presbyter & Diaconus*

peccantes fideles diverberare non debeant. Verumtamen continenti tempore perversus usus non inolevit, quippe tempore Roberti Pulli Cardinalis Cancellarii Ecclesiæ Romanæ in umbilico sæculi XII. anno MCL. cujus opera publici juris fecit, & notis doctissimis illustravit anno 1655. R.Pater Domnus Hugo Mathoud Ord. S.Benedicti, opus Deo gratissimum habebatur, cum quilibet sacerdotis prostratus ad pedes se cædendum virgis exhibebat nudum. *Est ergo*, inquit Cardinalis Pullus lib. VII. sententiarum capite iij. pag. 220. *Satisfactio quædam quam cujuslibet natu-*

ra tolerare ferè valeat, aſpera tamen & tanto Deo gratior, quanto humilior cum quilibet ſacerdotis proſtratus ad pedes ſe cædendum virgis exhibet nudum. Guillelmus de Nangiaco in vita S. Ludovici ſic fatur : *Poſt confeſſionem verò ſuam ſemper diſciplinam recipiebat à confeſſore ſuo,* & infra, *nec prætermittendum æſtimo de quodam confeſſore quem habuit ante Fratrem Gaufredum de bello loco de Ordine Prædicatorum, qui ſolitus ſibi erat dare diſciplinas nimis immoderatas & duras, ſuper quo caro ejus tenera non modicum gravabatur. Quod gravamen numquam illi confeſſori quamdiu viveret,*

voluit revelare. Sed post mortem dicti confessoris quasi jocando, ridendo hoc alteri confessori suo humiliter recognovit. Reginardus de rebus gestis S. Annonis Archi-Episcopi Coloniensis scribit de Henrico Imperatore sæculo XI. regnante, quod numquam insignia regalia sibi præsumpsit imponere nisi clàm per confessionis ac pœnitentiæ verberum insuper satisfactionem licentiam à quolibet sacerdotum suppliciter mereretur apud Surium die 4. Decembris. Cum his congruit Poëta qui summulam metricam scripsit Raymundi folio 122.

Es vir ſacrilegus ſi res ſacras violaſti
Si percuſſiſti perſonam religioſam
Vel quem de Clero, niſi ſit percuſſio ſancta
Doctor diſcipulum; Confeſſor probra fatentem.

Michaël Scotus lib. 4. menſæ Philoſophicæ cap. xviij. ludicram in hanc rem refert hiſtoriam viri cujuſdam zelotis, qui uxorem ſuam ad confeſſionem euntem ſequebatur, quam cum ſacerdos retro altare duceret flagellandam, hoc videns, maritus ait, *O Domine tota tenera eſt, ego pro ipſa recipio diſciplinam, quo flectente genua dixit mulier, percute fortiter Domine quia magna peccatrix ſum.* Gloſſarium Domini du Can-

ge verbo *Disciplinæ*. Doctissimus socius Sorbonicus Joannes Baptista Cotelerius monumentorum Ecclesiæ Græcæ tom. 3. num. 19. pag. 499. inter criminationes Græcorum adversus Latinos refert exprobratum fuisse, quod latini ab excommunicatione aliquem dum solvunt, denudant eum usque ad lumbos & qua parte nudus est flagellantes loris vel virgis inde tanquam venia donatum dimittunt. ἀφορισμοῦ τινὰ λύοντες, γυμνοῦσιν αὐτὸν ἕως ὀσφύος, καὶ μαστίζοντες ἐπὶ γυμνοῦ λώροις, ἀπολύουσιν ὡς συγκεχωρημένον ἐντεῦθεν. Nec prætermittere debeo quod vetus scriptor Gal-

licus ait de Rege Arturo in historia mensæ teretis & gestorum Equitis Lanceloti du Lac prima parte, fol. 81. edit. Parisiensis Antonii Gerard 1494. 1. Julii. *La Confession ne vaut rien si le cœur n'est repentant; & si tu es moult & éloigné de l'amour de nostre Seigneur, tu ne peus estre raccordé sinon par trois choses. Premierement par la confession de bouche; secondement par une contrition de cœur; tiercement par peine de cœur, & par œuvre d'aumône & charité. Telle est la droite voye d'aimer Dieu. Or va & si te confesse en cette maniere & reçois la discipline des mains de tes confesseurs,*

car c'est le signe de merite. Et infra continenter : *Or mande le Roy ses Evesques, dont grande partie avoit en lost, & vinrent tous en sa chapelle. Le Roy vint devant eux tout nud en pleurant, & tenoit son plein point de menuës verges, si les jetta devant eux, & leur dit en soupirant, qu'ils prissent de luy vengeance, car je suis le plus vil pecheur & le plus déloyal du monde, & quand ils l'ouyrent, ils furent moults ébahis & luy dirent : Sire, qu'avez-vous. Je viens,* dit-il, *à vous comme à mes peres, si veuille devant vous tous me confesser à Dieu de mes grands pechez & félonies, car je suis*

le plus grand pecheur qui oncques fust. Les Evêques & Prelats en ont grand pitié, & commencent à pleurer, & il fut à genoux devant eux nud & déchaux, jusqu'à ce qu'il ait confessé à son cuider les grands pechez dont il luy souvenoit. Aprés prinst discipline & deux & moult doucement la receut. Hæc quidem speciem pietatis habent reverà anomalæ. Sed utinàm ætate nostrâ, flagra crudelia veneri delicias non pariant specie pietatis & religionis, & tàm perversus usus, quàm probrosus, non recrudescat. Sed cùm hæc omnia æstuantis libidinis inventa non tam in veræ sa-

pientiæ consiliis quam in nescio cujus pietatis ac religionis heteroclitæ temeritate posita sint, non minus periculosum nobis videtur cum Rodolpho Eugubino, & Dominico Loricato, & Petro Damiani seipsum flagellis ac virgis cædere, quam cum SS. Edmundo & Bernardino Senensi, & Fratre Matthæo Avenionensi capucino, puellas flagellis betuleis aut cannabinis diverberare. Pessimè enim ratiocinaretur qui ex hujusmodi exemplis singularibus & solitariis, conclusionem generalem colligeret, & ab omnibus fidelibus eadem exempla imitatione

conſequenda defenderet. Sanctus Bruno Cartuſianorum Patriarcha pauloponſt mortem Sancti Petri Damiani & pœnitentiæ monaſticæ maximus inſtaurator uſum flagellationum ſpontanearum non recipit. Omnes vitæ ejus ſcriptores, & naſcentis Ordinis coætanei Odo Cluniacenſis, & Guibertus de Novigento, ejuſmodi flagellationes alto ſilentio prætermiſerunt. Guigo ex decano Grationopolitano Cartuſiæ Prior, qui primus Ordinis conſuetudines ſcripto mandavit, neutiquàm flagellationum ſpontanearum aut verberum meminit: Immò vetat diſciplinis uti niſi

priore ſciente & favente, capite XXV. ſtatutorum, *abſtinentias vero vel diſciplinas vel vigilias, ſeu quælibet alia religionis exercitia quæ noſtræ inſtitutionis non ſunt nulli noſtrum niſi priore ſciente & favente facere licet.* Domnus Rifferus etiàm Cartuſiæ majoris prior ſtatuta Guigonis amplificavit, quæ confirmata ſunt in Capitulo generali, anno Domini MCCLIX. eandem conſuetudinem renovavit ſecunda parte ſtatutorum capite XV. Domnus Franciſcus de Puteo in tertiâ parte ſtatutorum Ordinis Cartuſienſis de flagellis ſpontaneis nihil habet, ſed ſolùm de vir-

gâ diſciplinæ & correctionis mentionem facit capite xiij. Ad hanc ætatem referendæ ſunt antiquiores conſuetudines Cluniacenſis monaſterii quas in tres partes digeſſit, & in unum códicem collegit S. Udalricus monachus Benedictinus. At verò nullum in iis occurrit ſpontanearum flagellationum veſtigium, cùm tamen ampliſſima mentio verberum invitò receptorum non deſit, parte ſecunda capite tertio. *Frater qui in talem lapſum incurrerit verberatur quantum viſum fuerit Domino Abbati.* & pag. 166. *Cunctis enim qui videre voluerint videntibus, & maximè in mediâ*

plateâ nudatur, ligatur & verberatur. Capite viij. *De pueris & eorum Magistris ad nocturnos immò ad omnes horas si quid ipsi pueri offenderunt in psalmodiâ vel in alio cantu vel dormitando vel aliquid tale ullo modo committendo minimè differtur absque morâ froco & cucullâ exuti judicantur, & in solâ camisiâ cæduntur, vel à priore vel à præfato eorum magistro virgis vimineis levibus, teretibus, ad hoc provisis:* Verùm fateri necesse est elapso Petri Damiani sœculo, scilicet circa annum Christi MCXXII. quo Petrus Mauricii dictus Venerabilis factus est Abbas Cluniacensis qui decessit

expletis quinque & triginta annis, & obiit anno MCLVII. usum flagellationum spontanearum in monasterio Cluniacensi receptum fuisse. Id enim abundanter intelligimus ex statutorum quæ promulgavit articulo 53. quæ habentur in bibliothecâ Cluniacensi pag. 1368. quam collegerunt Domnus Martinus Maurier monachus S. Martini à Campis & Andreas Quercetanus Parisiis 1614. *statutum est ut pars illa monasterii, quæ ad sinistram partem post chorum sinistrum & clericis vel laïcis non pandatur nec quibuslibet, ut fieri solebat præter monachos ad eam aliquo*

tempore accessus sit. &c. Causa instittuti hujus fuit ut quia fratres præter veterem Ecclesiam sancti Petri non habebant ubi quædam sacra & secretiora ad religiosos homines pertinentia exercere valerent, jam dictam illam novæ Ecclesiæ partem sibi diebus & noctibus vindicarent, ubi sancta & secreta orationum aromata Deo assiduè accenderent, frequentibus metanæis vel genuflexionibus pio conditori supplicarent à tribus sæpe flagellis vel ad pœnitentiam vel ad meritum augendum corpus attererent: & his ac similibus sacris studiis velut in eremo ab hominum remoti & aspectibus incessanter & se suosque Domino

mino commendarent. Quæ cùm ita ſint, ex his concludere facile eſt, viros ſanctos, pios, ac pœnitentes, primulùm erumpentibus ſcuticis, & tanto impetu in tergora humana ferocientibus, in ortu obſtitiſſe & repugnaſſe, ſuamque voluntatem ad mentem & conſilia Petri Cerebroſi & Stephani Cardinalis aggregaſſe. Verumtamèn cùm hic uſus defricandi pellem humanam ac vibicibus ſulcandi, radices quaſdam in mentibus humanis egerit, & magna libido flagellandi, relicta majorum fide ac pietate, humana corda occupaverit, de variis flagellationibus Hiſtorici

vera & falsa incredibiliter scripserunt, quæ quidem homines pudentes & honestos à plagosâ libidine, qui de potestate mentis non excesserint, vehementer deterrent.

Caput VIII.

Scriptores flagellationibus spontaneis primulùm erumpentibus æquales ac suppares, incredibilia prodiderunt: Ex quibus vanæ & supervacaneæ ejusmodi flagellationes propriâ vapulantium manu inflictæ intelliguntur.

Cum primùm in terris flagellationes spontaneæ sancitæ & constitutæ sunt, scilicet inclinante sæculo decimo, undecimo ineunte, & pro-

grediente duodecimo, homines vapulantes ac viri flagellantes ſibi perſuaſerunt neceſſe eſſe cœlum in partem tam lepidi exercitii venire; quod mentes humanas, utcumque triſtes ac moroſas, incredibili jucunditate & illecebris expleverat. Refert Wittichindus regnante in Occidente Othone, poſt mortem in Oriente Nicephori Phocæ, Petri ſedem occupante Joanne XIII. anno Chriſti, ut obſervat Cardinalis Baronius DCCCCLXIX. Annalium tomo 10. Sanctum Nicomen monachorum precibus propitium, multis verberibus flagellaſſe cubicularium Impe-

ratoris Nicephori, qui vectigalia immani ferocitate exigebat, & plena cruoris irudo monasteria ſugebat. *Venit cubicularius quidam ab Imperatore aurei tributi causâ miſſus, qui ut pecuniæ turpiſque lucri percupidus erat, magnas cum cæteris civibus tam in ſancto inprimis cœnobio moleſtias exhibebat. Solent enim civitatum imperia & exactiones non æquis & benignis, ſed durioribus ut plurimùm inhumanioribus delegari: fruſtrà autem monachi quibus auri nihil erat, immitem, ferumque lenire precibus ſtudebant, qui aurum ſitiens, velut aſpis ad incantantium voces obſurdeſcebat,*

& tanquam ſpinarum ſonum ſub lebete, quod ſcriptum eſt, omnia illorum verba contemnebat. Quin & ferociùs inſoleſcens, poſt atroces minas in carcerem eos detruſit ac monaſterium ipſum expilare, deprædarique vecors meditabatur. Quod cæteri audientes qui in eo exercebantur, ad ſanctum precibus exorandum ſe convertunt, præſentemque ejus opem ſine mora experti ſunt; etenim proximâ nocte, minaci atque indignabundo vultu ad cubicularium veniens S. Nicon, multis eum verberibus excepit. Ex continenti ſermone intelligimus à S. Nicone flagellatum iri prædictum cubicularium

more majorum, donec inter verbera expiraret, nisi resipuisset, *eo quod, inquiens, nam verbis ejus utendum est, monasterii curatores, cum ipsi nihil deliquissent, vinculis mancipasti: quod nisi eos statim exemeris acerbus te præterea vitæ exitus manet.* Anno verò consequenti 970. Osbertus qui vixit anno 1136. refert Comitem quemdam illicito connubio cum suâ cognatâ conjunctum, ad meliorem frugem reversum, paratum fuisse coram S. Dunstano medio in concilio pœnas dare: *Perterritus*, inquit, *obstinationem suæ mentis deposuit, & abdicato illicito conjugio, pœnitentiæ sibi cultum*

imposuit. Dunstano itaque generale totius Regni Concilium de observantiâ celebrante, ipse suimet oblitus, nudis pedibus laneis indumentis corpus amictus, virgas manu ferens, concilio sese medium ingessit, & ante pedes Dunstani gemebundus & ejulans corruit. Quo viso moti sunt omnes qui aderant ad pietatem, & ipse pater omnium, majori præ cæteris pietate motus est. In vultu tamen servato disciplinæ rigore, ut pote hominem Deo conciliare desiderans, lacrymas ejus ad horam severus sustinuit, ac demum à toto concilio postulatus, lacrymans & ipse culpam indulsit. Ita excommunicationis vinculo

absolutum communioni fidelium gaudentibus cunctis eum restituit, apud Baronium Annalium tomo xij. anno Christi 970. pag. 939. numero xij. Edit. Colon. 1603. Ea verò ætate Petro Damiani adhuc in vivis superstite, multus sermo increbuit, ac per orbem dissipatus est, de quodam Episcopo Italiæ, qui beatâ Virgine præsente & jubente pœnas dedit, ut expiaret crimen, quo Canonicum Ecclesiæ Cathedralis hominem indignum suâ præbendâ se abdicare coegerat, alioqui specie tenus Beatæ Virgini devotum & inclinatâ cervice assuetum decantare quotidiè ad altare san-

ctæ Mariæ hunc verſum, *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Hanc hiſtoriam conceptis verbis ſic enarrat Petrus Damiani opuſculo 33. cap. iij. pag. 638. edit. Lugd. anni 1633. hunc titulum habet caput. *Beata Virgo præbendam clerico ſui devoto oblatam reſtitui jubet*, & continenter hæc leguntur. *Idem præterea Stephanus aliud mihi retulit, quod tamen non adeò certum tenebat, ſicut aliud quod ſupra digeſſimus. Audiſſe, inquit, me memini, quia clericus quidam fatuus erat, nauci frivolus & ineptus. Huc accedit quòd nullam religionis dotem, nullam cano-*

nicæ disciplinæ, gravitatis, sive modestiæ videbatur habere virtutem; inter hos tamen emortuos inutilis vitæ cineres hîc perexigui fomitis tenuis vivebat igniculus, ut ante sacrosanctum altare, quotidiè Beatæ Genitricis accederet, & reverenter verticem curvans, Angelicum hunc atque Evangelicum versiculum decantaret, Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: cùm itaque tantæ fatuitatis ineptiam novus deprehendisset Episcopus, ab inutili persona utilitatem Ecclesiæ detineri indignum duxit: eique præbendam quam à nuper electo suo decessore perceperat, abstulit. Sed cum tunc rei

familiaris egestas opprimeret & præter hoc aliud quid, unde posset vivere non haberet, nocturno silentio pia Dei genitrix dum dormiret apparuit, quam scilicet præcedebat vir manu ardentem faculam, in alterâ ferulam portans, cui mox Beata Virgo præcepit ut Episcopum delinquentem aliquantis ferulæ quam gerebat verberibus castigaret, cur inquiens Capellano meo qui mihi quotidianas impendebat excubias, stipem Ecclesiæ quam non ipse contuleras abstulisti? moxque Sacerdos tremefactus invigilans clerico beneficium reddidit, & quem ignotum Deo fortè crediderat, jam quasi carum propensius honoravit.

Historiam non minus incredibilem & ludicram refert Sylvester Gyraldus Cambrensis, qui vixit circa annum 1188. lib. j. itinerarii Cambriæ. *In Borealibus Angliæ, transhumbrorum finibus, in Ecclesia de Hooëden, Rectoris ejusdem Ecclesiæ concubina tumbæ sanctæ Osannæ sororis Regis Osredi ligneæ in modum sedis super aream eminenti minus cautè insedit. Quæ cum inde recedere vellet, fixis ligno natibus evelli non potuit, donec occurrente populo, scissis vestibus & corpore nudato & crebris disciplinis usque ad sanguinis profluvium acriter afflicto, cum lacrymis quoque multis & supplicationibus com-*

punctione ſecutâ, & pœnitentiâ injunctâ divinitùs laxatâ receſſit. Vincentius Bellovacenſis qui obiit anno 1256. refert libro xxv. cap. lxxij. ex Petro Damiani, *quod Umbertus Archiepiſcopus retulit quod in monaſterio ſancti Sylveſtri in territorio Urbinati quidam monachus obiit, & ab incipiente Gallicinii nocturnalis articulo uſque ad ſecundam diei horam cadaver fratribus circumquaque pſallentibus jacuit; cumque ad miſſam pro eo Agnus Dei diceretur, ecce ſubitò mortuus ſurrexit. Cumque attoniti fratres propiùs acceſſiſſent, ut ab ore illius verba audirent, ille maledicta & contumelias in Deum*

cœpit evomere, & crucem oblatam ei ut oscularetur conspuere, & intemeratam Dei genitricem ignominiosis opprobriis lacerare: & dicebat: Quare pro me psallitis vel sacrificia offertis? Ego in ipsa flamma Tartari fui, ubi magister meus & Dominus lucifer coronam æream inextinguibili semper ardore candentem in capite posuit, ejusdemque metalli clamydem quâ induebatur me vestivit. Erat autem clamys non longa ut talo tenus flueret, tam ferventer ignita, ut guttas emittere videretur. Cumque eum fratres ut pœnitentiam ageret admonerent, ille anathematisabat, & omnia Redemptoris nostri ore sacrilego

condemnabat myſteria. Tunc monachi toto corde pro illo orantes, exutis veſtibus ſe verberantes, & pugnis pectora tundentes, omnibus quibus valebant precum generibus inſudabant, & ecce deſperatus ille ad ſe redit, Salvatoris omnipotentiam, ſathanæ ludificationes abrenuncians, crucem adorat, pœnitentiam flagitat. Confeſſus eſt autem, quia poſt renunciationem ſæculi, in fornicationem inciderat, quod ea tenus cælaverat, laudanſque & benedicens Deum, uſque in diem alteram vixit, & ſancta confeſſione migravit. Sic faſcinavit mentes humanas flagellandi libido, ut perſuaſerit animas vi flagrorum

ex inferno in quo, ut fides docet, nulla est redemptio, liberari, nec vinculis æternis constringi quos Deus in judicium magni diei sub caligine reservavit: nec Sodomam & Gomorrham factas esse exemplum ignis æterni pœnam sustinentes.

Thomas Cantipratanus qui obiit anno 1263. refert libro secundo Apum capite xvj. numero 5. Hugonem de sancto Victore qui primo anno sæculi xij. fatis concessit, numquam in Capitulo flagrum sustinuisse: quippè cùm delicatam & teneram cutem habuerit, adeoque singulatìm omnes dæmones inferni dùm per

purgatorium transiit illi plagas inflixisse: quasi verò electi & prædestinati à dæmonibus in purgatorio crucientur? & Hugo de sancto Victore contra regulam sancti Augustini peccaverit, cui nomen dederat, in qua ut antea observavimus, de flagris & flagellationibus nihil incurrit. Porrò sic fatur Thomas Cantipratanus: *Apud sanctum Victorem Parisiis in monasterio canonicorum Regularium Magister Hugo canonicus fuit: qui secundus Augustinus, id est, secundus ab Augustino in scientiâ dictus fuit; qui etsi valdè laudabilis fuerit, in hoc tamen minus perfectè fecit quod dis-*

ciplinas in secreto vel in Capitulo cum aliis pro quotidianis excessibus non accepit : habebat enim, ut mihi dictum est, carnem tenerrimam & nimis à pueritiâ delicatam. Quia ergo naturam vel consuetudinem potius minus bonam in se virtutis exercitio non evicit, audi quid eum inde sustinere contigerit. Ad extrema veniens, à quodam concanonico suo qui eum in vita valdè dilexerat adjuratus est, quatenùs ei post obitum appareret : libenter, inquit, si hoc mihi per vitæ & mortis Dominum concedatur. His conditionibus mediis, magister Hugo defungitur, nec multò post redit ad socium præstolan-

tem, dicens: ecce ego, quære quod vis, morari non possum. Tunc ille & si cum timore, non tamen modicè gratulatus: quomodo, inquit, dilectissime tibi est? Bene, ait, mihi est: sed quia dum viverem accipere renui disciplinam, vix ullus dæmonum in inferno remansit, qui non mihi ictum validum dederit ad purgatorium transeunti.

Usus flagellandi eâ ætate adeò receptus erat, & suis illecebris incredibiliter humanas mentes occupaverat, ut idem Cantipratanus narret, Decanum quemdam Remensem, ejusdem Ecclesiæ Archidiaconum, electum Cathalaunensem Episcopum, minimè re-

luctantem, sed gratias maximas agentem, acerbissimè in Capitulo flagellasse, eo quod funeribus ceû justis in Ecclesia Remensi redditis, sancto Alberto Episcopo Leodiensi sine veste Canonicis Remensibus adsuetâ interfuisset. Lege lib. ij. Apum cap. xxxix. numero 20. *solertissimum quemdam in Remensi Ecclesia decanum, genere Anglicanum, ab his qui virum cognoverunt audivimus qui concanonicos suos pro excessibus viriliter corrigebat. Accidit autem ejus tempore, ut venerabilis & Deo dignus Albertus Leodiensis Episcopus Frater Ducis Brabantiæ, ab Imperatore Henrico, exul ab impe-*

rio pelleretur, & à militibus ejus juxta Remensem urbem pro justitiâ dolosissimè necaretur: ad cujus exequias, cum venerabilis Rothardus ex regali genere ortus, tunc quidem Archidiaconus Remensis, sed in Catalauno præsul electus, sine nuptiali veste cum multâ turbâ nobilium interesset, sepulto sacro cadavere in choro cathedralis Ecclesiæ, ut decebat, decanus omnes canonicos nec non & ipsummet Catalaunensem electum ad capitulum convocavit.

Residentibus ergo cunctis, dixit decanus electo: nondum adhuc ut credo Archidiaconatum aut Canoniam resignastis? cui electus: nondum, inquit, surgi-

te ergo, ait decanus, & satisfaciatis Ecclesiæ, & dorsum ad disciplinam coram fratribus præparate; eo quod sine veste nuptiali chorum cum canonicis contra regulam introiistis. Nec morâ, surgens & procumbens electus, vestes exuit, & manu decani validissimam disciplinam accepit: quâ acceptâ electus vestibus reindutus, erexit se, & decano cum maximâ oris gratiâ, coram omnibus dixit: gratias ago Deo & Patronæ Remensis Ecclesiæ ejus piissimæ genitrici, quod te talem in regimine relinquo.

Centum ferè annis ante Archidiaconum vapulantem anno scil. Christi 1174. Henri-

cus ſecundus Rex Angliæ ad obtinendam veniam criminis quo accuſabatur, ob interfectum S. Thomam Cantuarienſem, à monachis Eccleſiæ Cantuarienſis virgis cæſus eſt, & à ſingulis ternos vel quinos ictus flagri libenter & ſponte ſuſtinuit. Conceptis verbis ſic refert Matthæus Pariſ. in hiſtoriâ Anglicanâ anno Chriſti 1174. pag. 90. edit. Pariſienſis. *Sed quoniam interfectores Martyris glorioſi ex verbis ejus non ſatis circumſpecte prolatis, occaſionem ſumpſerant Archiepiſcopum perimendi ab Epiſcopis qui tunc præſentes erant abſolutionem petiit, carnemque ſuam nudam diſciplinæ*

virgarum ſupponens, à ſingulis viris religioſis quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos vel quinos accepit.

Non minus horribile accidit Ægidio Comiti Venaïſino quem ante bifores Eccleſiæ Avenionenſis juſſit Pontifex flagellari, ſuis prædiis ac fortunis priùs fiſco addictis, quoniam rectorem cujuſdam parœciæ humo tegere præceperat, qui ſepulturæ cadaver hominis mortui dare repudiaverat, donec pretium ceû honorarium ſolutum fuerit.

Habemus ad finem Hungari Bonfinii Concilii Strigonienſis Canones, quibus pœnâ flagri ante fores Eccleſiæ ple-

plectuntur, qui tribus vicibus missæ parochiali interesse neglexerint.

Æstu denique & exacerbatione febris flagellandi quâ laborabatur tempore Sixti IV. Summi Pontificis, quidam ex Ordine sancti Francisci homo cordiger & cucullatus, Magistrum in Theologia natibus ad solem apertis & nudatis femoribus toto stupente foro, volæ manus crepitaculis diverberavit, ad retundendam temeritatem concionantis, qui adversus immaculatam Conceptionem Beatæ Virginis publicam orationem habuerat. Hanc historiam scripsit Bernardinus de Bustis

M

& coram plebe Christianâ enarravit in opere Mariali Sermone viij. de Conceptione Beatæ Virginis circa finem, quod inscripsit summo Pontifici Alexandro VI. *Apprehendens ipsum revolvit super genua sua; erat enim valde fortis. Elevatis itaque pannis, quia ille Magister contra sanctum Dei tabernaculum locutus fuerat, cepit cum palmis percutere super quadrata tabernacula quæ erant nuda: non enim habebat femoralia vel antiphonam, & quia ipse infamare voluerat beatam Virginem, allegando forsitan Aristotelem in libro Priorum iste prædicator confutavit legendo in libro suorum Posteriorum, de*

hoc autem omnes qui aderant gaudebant. Tunc exclamavit quædam devota mulier, dicens, Domine prædicator detis ei alias quatuor palmatas pro me, & alia postmodum dixit, detis etiam ei quatuor, sicque multæ aliæ rogabant, ita quod si illarum petitionibus satisfacere voluisset, per totum diem aliud facere non potuisset. Adeò justam & rectæ rationi congruentem existimavit hanc flagellationem Bernardinus de Bustis, ut eodem sermone defendere non pertimescat, aspirante B. Virgine factitatam fuisse, *Fortè*, inquit, *ipsâ Virgine illum ad faciendum inducente, datâ insuper immunita-*

te à censuris in quas, ex lege ecclesiasticâ percussores clerici incurrere solent: atque, inquit, *Censuram Ecclesiasticam de percussione clerici relaxante.* Omnium ineptiarum haud scio an ulla ineptior sit ista flagellatione. Sed quid tam insulsum? ut incogitabile sit humano cerebro, semel novitatis illecebris fascinato! His aggregare possumus insulsitatem Edmundi Bonner Episcopi Londinensis, qui cum schismati Anglicano regnante Henrico VIII. nomen dederit, non destitit sub Mariâ Anglicanâ Lutheranos propriâ manu flagellis & virgis cædere, ut refert Burnetus, si

qua fide dignus, Hiſtoriæ Reformationis Eccleſ. Anglicanæ tom. ij. pag. 544. Tandem poſtquam hominibus ſtatutum eſt tempore Petri de honeſtis Damiani ſe ipſos flagellare: eo res devolutæ ſunt, adeòque flagella & flagellandi furioſa libido creverunt, ut non ſolum monachi, Sacerdotes, Epiſcopi, Archidiaconi, Reges, Principes, Cives, Concionatores, Hæretici & Catholici vapulaverint; verum etiam ipſemet diabolus pænas dederit acerbiſſimas, uti refert fide digniſſimus ſcriptor R. Pater Bartholomæus Fiſen Societ. Jeſu, in libro typis impreſſo Duaci anno

1638. capite xvj. pag. 60. sub titulo originis priscæ festi Corporis Christi, in quo de S. Julianâ sic fatur: *Cornelianæ sodales ingentem aliquando audierunt strepitum ex ejus cubiculo, & contentionem Julianæ adversus dæmonem quem manibus comprehensum quanti poterat cædebat, in terram deinde prostratum pedibus obterebat, lacerabat sarcasmis.* In memoriam revocat hæc flagellatio diaboli, alteram quam legi olim tom. vj. antiquarum lectionum Henrici Canisii, in vitâ & miraculis sancti Virgilii Episcopi Wirtsburgensis in Bavariâ, conceptis verbis sic expressam; ex qua in-

telligimus Energumenum ob furtum cereorum & oblationum quæ ad altare sancti Virgilii factæ fuerant scopis cæsum fuisse, numero quarto. *Ego non spontè*, inquit Energumenus, *sed coactus veni candelas & alias oblationes à viri Dei sepulchro ego abstuli, & nisi quantociùs restituantur Magister meus cum septem nequioribus intrabit spiritibus, & in perpetuum hîc manebit.* Cùm *vero candelæ diù quæsitæ rursùm ad dæmonis judicium inventæ essent & allatæ, addidit idem dæmon corpus miserabile scopis numero pari factis candelarum cædendum.* Beatus Alanus redivivus cap. xxxviij.

non absimilem refert historiam in narratione de quodam Jacobo Halo famoso danista, ex diabolorum unguibus erepto vi Beatæ Mariæ Virginis, quam videntes dæmones numerosi & blasphemantes & se invicem verberantes fugerunt.



CAPUT IX.

Homines plagosi in sectam flagellantium dictam degenerant, ab Ecclesiâ damnatam. Secta extincta recrudescit. Joannes Gerso Cancellarius Universitatis Parisiensis & Joannes ab Ingen sacræ Theologiæ Professor, ac deinde variarum Cartusiarum moderator, scriptis doctissimis flagra & flagellantes confutant. Senatus Parisiensis anno 1601. perorante Illustrissimo Servino advocato catholico flagellationibus publicis interdixit.

QUæ hactenus diximus, credibilia videantur necesse est, si cum historiâ horribilis sectæ flagellantium conferantur: quam flagellandi se immanis libidio effor-

mavit & enixa est anno Christi 1260. in ea nihil reprehendendum aut accusabile perspici potest, præter superstitionem de corio humano ludendi, & carnem vibicibus cruentandi in mediis urbium & vicorum plateis. Istiusmodi se flagellandi insulsitas continenti tempore multorum errorum accessionibus cumulata fuit, de quibus dicendi locus erit cum de hujus sectæ penè extinctæ instauratione dicturi sumus ad annum 1349. sed nè celare quidquam aut dissimulare videamur, concepta referam verba monachi sanctæ Justinæ Paduensis cujus chronicon Ur-

ſitius Baſileenſis publici juris fecit anno 1585. typis Wechelianis: quippè ſic fatur de rebus geſtis in inſubria & vicinis locis ad annum 1260. *Cum tota Italia multis eſſet flagitiis & ſceleribus inquinata, quædam ſubitanea ſuperſtitio & à ſæculo inaudita invaſit primitùs Peruſinos, Romanos poſtmodum, deinde ferè Italiæ populos univerſos. In tantùm itaque timor Chriſti irruit ſuper eos, quod nobiles pariter & ignobiles, ſenes & juvenes, infantes etiàm quinque annorum nudi per plateas civitatum, opertis tantummodò pudendis, depoſitâ verecundiâ, bini & bini proceſſionaliter incedunt: ſinguli fla-*

gellum manibus de corrigiis continentes, & cum gemitu & ploratu se acriter super scapulis usque ad effusionem sanguinis verberantes, & effusis fontibus lacrymarum, ac si corporalibus oculis ipsam Salvatoris cernerent passionem, misericordiam Dei & Genitricis hujus auxilium implorabant suppliciter deprecantes; ut qui innumeris pœnitentibus est placatus, & ipsis iniquitates proprias cognoscentibus parcere dignaretur. Non solùm itaque in die, verum etiam in nocte cum cereis accensis in hieme asperrimâ centeni, milleni, decem millia quoque per civitates & Ecclesias currebant, & se ante altaria hu-

militer prosternebant præcedentibus eos sacerdotibus cum crucibus & vexillis. Similiter in villis oppidis faciebant: ita quod à vocibus clamantium ad Dominum resonare videbantur simul campestria & montana. Siluerunt tunc tempore omnia musica instrumenta & amatoriæ cantilenæ. Sola cantio pœnitentis lugubris audiebatur ubique tam in civitatibus quàm in villis, ad cujus flebilem modulationem corda saxea movebantur, & obstinatorum oculi se lacrymis non poterant continere. Mulieres quoque tantæ devotionis fuerunt minimè expertes. Sed in cubiculis suis non tantum popula-

res, sed etiam matronæ nobiles & virgines delicatæ cum omni honestate hæc eadem faciebant. Tunc ferè omnes discordes ad concordiam redierunt: usurarii & raptores malè oblata restituere festinabant; cæteri diversis criminibus involuti peccata sua humiliter confitentes, se à suis vanitatibus corrigebant; aperiebantur carceres, dimittebantur captivi & exules redire ad propria sunt permissi: tanta enim opera sanctitatis & misericordiæ tam viri quàm fœminæ ostendebant, ac si timerent quòd divina potentia ipsos vellet igne cælesti consumere vel jactura terræ absorbere aut concutere vehementi terræ motu, ceû aliis

plagis quibus divina justitia se ulcisci de peccatoribus consuevit. Super istâ verò pœnitentiâ repentinâ quæ ultra etiam fines Italiæ per diversas provincias est diffusa non solum viri mediocres, sed & sapientes non irrationabiliter mirabantur: cogitantes unde tantus fervoris impetus proveniret: maximè cùm iste modus pœnitentiæ inauditus, non fuisset à summo Pontifice institutus, qui tunc Anagniæ residebat, nec ab alicujus prædicatoris vel autorisabilis personæ industriâ vel facundiâ persuasus, sed à simplicibus sumpsit initium: quorum vestigia docti pariter & indocti sunt secuti.

Diffiteri nemo homo poteſt, quin multa ſint in hac ſectâ imitatione digna, quæque virtutis exemplum omnibus præbeant. Humilitas, frequens peccatorum exomologeſis, maximus timor Dei, ſincera à peccatis reſipiſcentia, vitiorum extinctio, rapinarum & uſuræ deteſtatio, reconciliatio cum inimicis, incarceratorum libertas procurata potiſſimè fulgent. Nullus error aut hæreſis ex hujus ſectæ enarratione intelligitur, nihil denique animadverſione aut reprehenſione dignum incurrit, præter profuſas & immenſas flagellationes vapulantium propriâ ma-

nu & spontè factas: quæ singulares & solitariæ causæ cohibuerunt nè summus Pontifex Alexander IV. hanc sectam autoritate ecclesiasticâ confirmaret, qui tunc Anagniæ sedebat: cujus vestigia ingeminarunt multi principes qui hanc sectam erumpentem repudiarunt, suisque prædiis ac limitibus ablegarunt. Inter cæteros Manfredus Siciliæ & Apuliæ Dominus, Palavicinus Marchio Cremonæ, Brixiæ, & Mediolani: alii omni aditu & ingressu interdixerunt, ut refert Joannes Aventinus libro vij. Annalium Boïorum folio 702. qui vixit anno 1466. ad an-

num 1509. Hanc sectam multis commendat laudibus Spondanus Episcopus Appamiensis, nec ullum errorem aut vitium in ea carpit aut defricat, præter immensam & profusam spontanearum flagellationum ascesim. Tom. 1. Annal. Baronii observat sedes quasdam in Poloniâ figere tentasse flagellantes, annum circa 1261. sed gravissimis impositis pœnis prohibitos fuisse, non secus ac in Bohemiâ, ut refert Michonius rerum Polonicarum lib. iij cap. lv. & Dubravius rerum Bohemicarum libro xvij. Hic furor montes Appeninos superavit, & ad Græcos per-

venit, ut refert Nicephorus Gregoras, qui anno 1361. vixit. Flagellantibus Orientis errores adſcribit, quibus neûtiquam Occidentales inquinantur, ex teſtificatione hiſtoricorum æqualium aut ſupparium; ſed ſectæ inſtauratoribus & ad extremas anguſtias redactæ renovatoribus anno 1349. jure meritò inferrentur.

Albertus de Argentina qui imperante Carolo IV. & filio ejus Vinceſlao vixit, ſcripſit Chronicon quod deſinit in annum 1378. & incipit anno 1270, de ſectæ flagellantium renovatione tractat ampliſſimè. Chriſtianus Urſitius pu-

blici juris fecit cumulatum accessionibus plurimorum scriptorum rerum Germanicarum anno 1585. Mihi facile persuadeo nihil ad præsentis operæ pretium conducibilius effieri posse quàm hujusce Chronici verba exscribere, non secus ac superius exscripsimus verba monachi sanctæ Justinæ Paduensis, & ipse Joannes Nauclerus transcripsit generatione xlv. *Pestilentiâ*, inquit, *paulatìm incipiente anno MCCCXLIX*. scilicet annis LXXXIX. elapsis ab origine prima sectæ flagellantium *in Allemaniâ cæperunt se populi, flagellare transeuntes per terram, & venerunt ducenti de Sue-*

viâ Spiram anno prædicto in medio Junii, habentes inter se unum principalem & duos alios magistros, quorum mandatis omninò parebant. Et cum horâ primâ Rhenum transissent, accurrente populo, fecerunt circulum in civitate Spira ante monasterium latum valde, in cujus medio se exuentes depositis vestibus & calceamentis, habentes in modum braccæ camisias in femore ad talos prætensas, circumiverunt unusquisque post alium in circulo in modum crucifixi, prostravit quilibetque eorum super quoslibet transeuntes passibus, & leviter prostratos flagellis tangentes ultimi qui se primò straverunt primò surgentes, se flagella-

verunt flagellis habentibus nodos cum quatuor aculeis ferreis, transeuntes cum cantu vulgari invocationis dominicæ, habentes multas invocationes, & steterunt tres in medio circuli sonori valde præcinentes flagellando se, & post quos alii canebant, in quo diù immorantes ad unum prætensum omnes genuflexi in modum crucifixi in facies suas corruerunt, cum singulturantes, & transierunt juxta circulum magistri monentis eos ut orarent ad Dominum pro clementiâ super populum, item super omnes eorum benefactores & malefactores & omnes peccatores in purgatorio existentes & pluribus aliis. Post hæc se locantes extensis mani-

bus in cælum genuflexi canebant, & iterum ſurgentes diu ſe flagellabant euntes ut prius; quibus ſe induentibus alia pars eorum quæ indumenta & ſubſtantiam ſuam cuſtodierat ſe exuens, idem fecit. Poſt hæc reſurrexit unus ſonorus legens litteram, quia aliqui inter eos fuerant ſacerdotes, & litterati nobiles & ignobiles, mulieres & pueri, cujus litteræ tenor ſimilis in ſententiâ eſſe dicebatur in Eccleſiâ ſancti Petri in Hieruſalem per Angelum præſentata, in qua narrat Angelus Chriſtum offenſum contra mundi pravitates, plurima exprimens crimina, violationem diei Dominicæ, & quod non jejunetur fe-

riâ ſextâ, blaſphemias, uſuras, adulteria, Chriſtumque rogatum per beatam Virginem & Angelos pro miſericordia reſpondiſſe quemlibet per triginginta quator dies ſe debere exulando flagellare, ut miſericordiam Dei conſequantur. Tantus erat Spirenſium affectus ad eos qui citò omnibus invitatis non inveniebatur qui invitari poſſet, non enim recipiebant cujuſvis eleemoſynam in ſpecie ſed in genere pro parandis contortis cereis & vexillis. Habebant enim vexilla de ſerico & purpurâ depicta, cum quibus proceſſionibus tranſibant, ſed invitati de Magiſtrorum ſuorum licentia ibant vocati, nec audebant

bant invitare perditiores vocati: hoc quoque faciebant bis in die aut in civitate vel in campis, & quilibet etiam in nocte nec loquebantur mulieribus, nec super plumis jacebant: omnes gestabant cruces ante & retrò in veste & pileo, habentes flagella vestibus appensa; nec in unâ parochiâ ultrà unam noctem manserunt, ingressi sunt fraternitatem eorum humillimè centum & plures de civitate Spirensi circa mille Argentinensium, promittentes servare per prædictum tempus obedientiam prædictis Magistris. Nullus recipiebatur, nisi promitteret servare prædicta per prædictos dies, & nisi haberet expendere in die

ad minus quatuor denarios, ne mendicet, & nisi promitteret se esse confessum & contritum, & remisisse omnem injuriam inimicis, & habere uxoris suæ assensum: diviseruntque se Argentinæ; pars enim descendit, pars altera ascendit, Magistros inter eos similiter dividentes. Magistri quoque Argentinis repentinam castigationem nimiam prohibebant, tantæque ad omnes confluebant multitudines ascendentium & descendentium & transversalium quod nemo poterat numerare. Post hæc in civitate Spirâ penè ducenti pueri duodecim annorum ætate, colligationem fecerunt, & se flagellarunt.

Ex hac narratione abundanter amplificatâ, intelligimus in quo loco res essent flagellantium, cùm eorum secta instaurata est. Demptâ enim superstitione, quâ sibi fingebant Angelum Epistolam attulisse super altare S. Petri in Hierusalem & jussu B. Virginis & Angelorum per triginta dies sibi flagellandi se necessitatem impositam fuisse: non alio errore inquinati videntur: nec aliam ob caussam mandatis Caroli IV. Imperatoris è Germaniâ exularunt, & à Clemente VI. Pontifice Anagniæ sunt condemnati. Diploma bullæ Pontificiæ refertur apud Bzovium

in Continuatione Annalium Card. Baronii, eodem anno numero 105. Clemens VI. cui nomen erat Petro Rogerio, antea quidem Archiepiſcopus Senonenſis & Rothomagenſis moribus Gallicis aſſuetus, etiam per ſpeciem & nomen pietatis flagellandi furioſæ cupidini animum aggregare aut accommodare non potuit.

Albertus Crantzius Wandaliæ libro 8. capite 28. quæ refert Albertus de Argentina non amplificat, licet ſcriptor multò recentior ſit, quippe mortuus idibus Decembris an. MCXVIII. Revera enim ab ætate originis flagellantium

hiſtorici remotiores hanc ſectam multorum errorum contumeliâ explent qui ſcriptoribus æqualibus ceû ſupparibus, prorſus ignoti vel incogitabiles viſi ſunt. Sebaſtianus Franck in Chronico, flagellantibus adſcribit quatuor & quadraginta errores reverà horribiles & plerumque fidei Catholicæ contrarios, qui longâ ſerie & ordine referuntur in hiſtoriâ Monachatus Rodolphi Hoſpiniani lib. 6. quorum multi perperàm primis flagellantibus adjudicantur. Enimverò cum nullus eorum ſocietati nomen daret, niſi prius peccata exomologeſi expiaſſet, incredibile eſt ad-

versos fuisse dogmati confessionis auricularis. Doctissimus Spondanus Episcopus Appamiensis tom. 2. Contin. Annal. Baronii sub Joan. XXIII. Pontifice an. MCCCCXIV. numero 15. eosdem errores apud Sebastianum Franck relatos flagellantibus adscribit, quos exscripsit ex libro sub titulo Cosmodromii Gobellini Personæ ætate 6. cap. xcj. qui vixit anno 1414. Imperii Sigismundi III. tertio, quinto & ultimo Pontificatus Joannis XXIII. Iste Gobellinus Persona erat Decanus Bilefiedensis, cujus opus ferè totum in suam Metropolim traduxit Albertus Crantzius præ-

ſertim libro j. capite xvj. & xxviij. lib. iv. cap. iv. lib. vij. cap. xxviij. lib. ix. cap. v. lib. x. cap. j. & xxxv. Adverſus hos ætatis imæ flagellantes, tres viri celebres ſuppares erumpenti ſectæ aut recrudeſcenti ſcripſerunt, ſcilicet Hermannus à Schildis natione Germanus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, qui claruit anno MCCCXL. præſtanti vir ingenio, divinarum rerum ſtudioſiſſimus & in ſcripturis apprimè verſatus, idemque in Deum Magnâ virtute conſpicuus, ut ait Pater Thomas Gratiani Prior Provincialis ejuſdem Ordinis in Anaſtaſi Auguſtinianâ ſive catalogo ſcri-

ptorum ordinis S. Augustini impressa anno MDCXIII. Antuerpiæ pag. 94. per Joannem Tritavium. Joannes de Hagen sivè de indagine, qui societati Cartusianorum dato nomine claruit, ut refert Abbas Trithemius sub Frederico III. & Papa Pio II. anno Domini MCCCCLX. & Joannes Gerson Ecclesiæ & Universitatis Parisiensis Cancellarius quo tempore celebrabatur Concilium Constantiense ex scriptis virorum illustrium intelligere facile est quid in hac sectâ reprehensione dignum reputaverint, & utrum præter flagellationes vapulantium propriâ ma-

nu inflictas alios errores eis objectaverint & confutaverint. Libri Hermanni à Schildis & Joannis de Indagine contra flagellatores qui incipit *in nomine Christi*, ut observat Trithemius, quamvis undique venari non destiterim, ad me nondùm potuerunt pervenire. Sed Joan. Gersonii opusculum habemus tomo I. Operum pag. 637. edit. Parisiensis an. MDCVI. in quo reverà licet infinitos errores confutat recentiorum flagellantium ceû renovatorum, ac præsertim de confessione auriculari peccatorum in aures sacerdotum, singulatìm tamen & affatìm carpit

insulsitatem seipsum flagellantium, argumenta enim Gerso prodidit quæ plerosque errores Lollardorum & Begardorum Belgii, qui fœdus tandem aliquando cum flagellantibus inierunt, neutiquàm confutant, sed ipsasmet in se flagellationes spontè factas, & vapulantium propriâ & liberâ manu inflictas.

I. Gerso adversus hanc sectam prodidit cap. xiv. Deuteronomii, quo quidem flagellationes in se conceptis verbis Deus vetat: & sic ratiocinatur. *Lex Christi non minus debet in cultu suo vitare superstitiones Gentilium & idololatrarum præsertim crudeles & hor-*

rendas, quàm antiqua lex, in qua tamen prohibitio ſit per expreſſum Deuteronomii xiv. ubi dicitur: filii eſtote Domini Dei veſtri, non vos incidetis. Gloſſ. non debetis in aliquo idololatris aſſimilari: & in Hebræo habetur, non vos lacerabitis. Hoc autem faciebant idololatræ, ſicut habetur iv. Regum capite xviii. Non dubitabat quin flagellantes alieniores eſſent à peccato idololatriæ, & cùm aliis inquinarentur erroribus de confeſſione auriculari, quam ſibi perſuadebant minùs conducibilem flagellationibus, ad delenda peccata conſiſtere: argumento ex eo loci Deuteronomii aſſumpto, erant neutiquàm

confutandi. Ergo adversus flagellationes in se spontè & propriâ vapulantium manu inflictas pugnat Gerso.

II. Hanc veritatem adeò comprobat argumento continuo, ut nulla res infirmare possit. Prodidit enim continenti sermone edicta Principum, qui primulùm exclusâ ovo sectâ flagellantium, eis omni ascesi prorsus interdixerunt, & extra ditionum suarum metas eos relegarunt. Quippè sic fatur opusculi contra sectam flagellantium pag. 638. *Lex Christi declarata per ecclesiam cujus autoritas major est in consuetudine dicente S. Thoma quod sit autoritas unius*

doctoris sicut Hieronymi, vel Augustini semper sectam flagellantium se reprobavit, postquam insurgere videbatur in diversis mundi partibus, & hoc de memoriâ plurium hominum viventium, tam in Lotharingiâ quam in Alemanniâ, & in Franciâ pluribus in locis, juxta narrationes hominum & Chronicas Franciæ, & scriptores fide dignos.

At verò luce meridianâ clariùs patet; ibi loqui Gersonium de sectâ flagellantium primulùm erumpente anno 1260. & recrudescente anno 1349. quibus dubitandi locus non relinquitur, quin eo tempore penitùs purgata & ab omni specie erroris im-

munis fuerit; demptâ superstitione propriâ manu scuticis aut virgis armatâ flagellandi se, ut supra ostendimus, & ipsemet Spondanus Episcopus Appamiensis rotundè fatetur. Igitur hæc omnia assumenda sunt ad concludendum doctissimum & sanctissimum Gersonium non solùm improbasse, sed totis viribus confutasse spontaneas flagellationes propriâ vapulantium manu factas. Res verò istiusmodi adeò perspecta est, ut doctissimus Jesuita Gretzerus, vir flagellationibus valdè propitius, ad confutandas rationes & argumenta Gersonii capita v. vi. & vii.

lib. 2. de disciplinis insumpserit: & ad eas angustias redactus fuerit, ut de Gersonio flagellationibus Petri Damiani, parùm concordi sic dixerit lib. 2. de disciplinis cap. VIII. *Displicuit Gersoni mos iste. Quid tum? Fortè non displicuisset, si Sanctorum exempla in memoriam revocasset:* insuper etiam idem Jesuita hoc argumento probaverit, fas esse homini sibi ipsi plagosas manus inferre, sivè seipsum spontè virgis cædere, *quia pater verberare potest filium siquid delinquat, & maritus uxorem.* Quis enim rationis compos ejusmodi ratiocinationi non repugnet, & fateri non renuat penès ma-

ritos jus & poteſtatem conſiſtere flagellandi ſuas uxores? Si quis ejuſmodi flagellationis lege nobiles matronas, & delicatulas connubiali contractu adſtringi in Galliâ noſtrâ aſſereret ſcuticis & fuſtibus, & omni genere flagri in Xenodochium morionum, quod *Parvas domos* Pariſii nuncupant affatìm ac repentè relegaretur. Tàm perverſus flagellandi mulieres uſus primùm erupit è cœno paganiſmi, ut obſervat Lactant. lib. 1. de falſa religione pag. 127. ex ſexto Clodio in eo libro quem Græce ſcripſit, ubi refert. *Favauni uxorem nomine Fatuam quam Varro ſcribit tantâ pudi-*

citiâ fuisse, ut nullus eam quoad vixerit præter virum suum mas viderit, aut nomen ejus audiverit; quia contra morem decusque regium clàm vini ollam ebiberat & ebria facta erat, virgis myrteis à viro usque ad mortem cæsam. Addit Lactantius, *postea cùm eum facti pœniteret, & desiderium ejus ferre non posset, divinum illi honorem detulisse, & idcircò in sacris ejus obvolutam vini amphoram poni.*

III. Argumentum contra flagellantes assumit ex responsione ad objectionem deductam in eorum gratiam ex his verbis Psalmi 37. *Ecce ego in flagella paratus sum,* & ait quasdam annexas esse condi-

tiones flagellationibus, ut obsequium nostrum juxta S. Paulum fiat rationabile. Istiusmodi conditiones ceû res adjunctæ pro loci & temporis ratione flagris sunt, secundum mentem Gersonii : 1° ut flagellatio sit judicio superioris decreta & imposita pro peccato : 2° inflicta sit non propriâ vapulantis manu, sed alienâ: 3° fiat suffusione sanguinis, sed sine effusione, probatque autoritate Guillelmi Parisiensis, & usu recepto quarumdam congregationum religiosarum & hominum pietate insignium. Quis verò dubitet has conditiones spectare flagellationes spontaneas & pro-

priâ vapulantium manu factas, adeoque Gersonium existimasse ejusmodi flagellationes esse vetitas & jure prohibitas. *Lex Christi*, inquit Gersonius pag. 637. litt. F. *si videatur flagella indulgere, juxta illud*, Ecce ego in *flagella paratus sum, nihilominus circonstantiæ debent apponi quibus rationabile fiat obsequium nostrum: una quod ejusmodi flagellatio fiat judicio superioris imponentis talem pœnitentiam, & quod ab altero fiat, & moderatè & sine scandalo, & ostentatione, ac sine sanguine, juxta traditionem* Guillelmi *Parisiensis quemadmodum fit ejusmodi flagellatio in religionibus approbatis &*

ab aliquibus devotis personis. Sed aliter longè videmus in illis quæ reprobamus flagellis observari.

IV. Probabat Gersonius, non licere magis se diverberare flagellis, quam mutilare, aut in sterilitatem & castitatem castrare: aitque neutiquàm licere sanguinem mittere nisi ad recuperandam valetudinem ex legibus medicinæ. *Immò*, inquit, *sicut non licet hominem seipsum propriâ autoritate mutilare vel castrare, nisi pro sanitate totius corporis consequendâ; sic nec licet, ut videtur, quod à seipso quis sanguinem violenter ejiciat, nisi causâ medicinæ corporalis: alio-*

quin ſimili ratione poſſet ſe homo cauteriſare per ferrum ignitum; quod adhuc nemo poſuit nec conceſſit, niſi fortè idololatræ vel falſi Chriſtiani, quales reperiuntur in Indiâ, qui ſe putant debere baptiſari per ignem.

V. His adjungere poſſumus Gerſonium in hoc opuſculo adverſus ſectam flagellantium, & epiſtolâ continenti ſermone additâ, totis viribus contendiſſe, ut ſanctum Vincentium Ferrarienſem averteret, ne huic ſectæ nomen daret, animo ancipitem & dubium, ab omni laude & vituperio adverſus flagellantes abſtinentem, & omnis approbationis aut contumeliæ ex-

pertem. Reverà enim improbabile videtur S. Vincentium in hac sectâ perspexisse errores contra confessionem & transsubstantiationem, purgatorium, preces sanctorum, & alios XLIV. quos Spondanus & Sebastianus Franck recensent præter flagellandi se profusam libertatem. Nam in sectâ ejusmodi sphalmatibus & contumeliis inquinatâ tuendâ aut respuendâ numquam æquilibritatem mentis sustinuisset, & anceps ad ei nomen dandum perstitisset. Igitur planissimè constat Gersonium suâ ætate in sectâ flagellantium condemnasse flagellationes ipsas vapulantium manu infli-

ctas, quarum vibicibus fluebant ſanguinis rivi: poſtpoſitis infinitis erroribus flagellantibus objectis.

VI. Hiſce Gerſonii rationibus adductus ſupremus Senatus Pariſienſis, omni ſodalitate & coïtione interdixit pœnitentibus cyanei coloris, dictis Avarici Biturigum Hieronymitanis, viris demptâ inſulſitate ſeipſos acerbiſſimè flagellandi, verè Catholicis. Id abundanter intelligimus ex celeberrimo Senatus-conſulto anno 1601, pronunciato, requirente advocato catholico illuſtriſſimo Servino, relato inter decreta Eccleſiæ Gallicanæ Laurentii Bo-

chelli caufarum patroni lib. II. pag. 314. Edit. anni M. DC. XIX. Nec prætermittendum illustrissium Servinum in oratione habitâ eâ de causâ, ad Senatum Parisiensem adversus superstitionem sectæ flagellantium ultimo sæculo exeunte & nostro ineunte recrudescentis, observasse hunc locum Psalmi XXVIII. juxta Vulgatam versionem. *Ecce ego in flagella paratus sum*, habere in textu Hebræo, *in claudicationem paratus sum*, uti priùs animadverterant Santes Pagninus, Genebrardus & posteà nostris diebus Simeon Muisius in suis ad psalterium commentariis. Idem doctissimus Muisius

Muiſius in Collegio Regio Franciæ linguæ ſanctæ profeſſor docuit *claudicationem* apud Hebræos צֶלַע *tselah* ſignificare caſum ac fortunæ viciſſitudinem; quod probat pſalmi 35. verſ. 18. *adverſum me lætati ſunt:* quæ verba in hæc debent traduci *in claudicatione meâ lætati ſunt*, quæ ſic explicat paraphraſis Chaldaïca, *in calamitate mea, in contritione mea*, id eſt, ut obſervat Muiſius *in lapſu meo*, ceû *cùm lapſus ſum*. Ibi enim incurrit ipſamet vox צֶלַע non ſecus ac capite xx. Hieremiæ verſu x. *Omnes viri pacis meæ obſervabant claudicationem meam.* Ex quibus dubitandi lo-

cus non relinquitur quìn supervacaneum sit, hæc verba psalmorum proferre in gratiam flagellationum spontanearum.

VII. Illustrissimus Augustissimi Senatus Parisiensis Præses Jacobus Augustus Thuanus, mentione factâ sectæ flagellantium suâ ætate recrudescentis iterùm, annum circa MDLXXIV. libro 59. historiarum sui temporis pag. 47. tom. 3. in hac sectâ præter flagellationes, nihil exagitat aut increpat: At verò iis adjudicat causam immaturæ mortis Cardinalis Caroli à Lotharingiâ, observatque valdè propitium fuis-

ſe iſtiuſmodi flagellationibus Henricum III. Galliarum Regem ipſumque Pontificem Romanum. *Dum res*, inquit, *armis utrinquè gererentur longè diverſa facies in aulâ erat, ubi Rex naturâ religioſus, & qui ſpectaculis quæ tamen ferè neſcivit aut exhorruit antiquitas, maxime capiebatur opportunam paſcendi animi harum rerum avidi in loco Pontificiæ ditioni ſubjecto occaſionem nactus, ſupplicationibus à perſonatis hominibus in natalis pro feſtis celebrari ſolitis frequenter intererat. Ante centum annos invaleſcente religionis per voluntarios cultus luxurantis laſciviâ, exorta eſt ſecta eorum qui pæ-*

nitentiam in interiore cordis morsu positam publicè professi, eam ut exterioribus signis ostentarent saccum in veteri lege in luctu usurpari solitum induebant, & detorto ex psalmista qui se in flagella paratum dicit loco, ita veluti se flagellis cædebant, ob idque se flagellantium nomine indigetabant. Contra quos Joannes Gerso Parisiensis Academiæ Cancellarius, & sui ævi purissimus Theologus, jam tùm singulari libro scripsit, deinceps ea secta in religionem abiit Pontificum favore, secùs institutum illud pietatis quam ab initio factum fuerat interpretantium, ita ut hodie per omnem Italiam complures huic re-

ligiosæ veluti militiæ nomen dent, delictorum expiationem hac ratione se consecuturos sperantes. Jamque distincti coloribus, veneto, albo & nigro, ut olim Romæ Prasinæ & Venetæ factiones, in re dispari studia hominum distrahebant, sic in religione plerisque locis magnas contentiones ac æmulationes excitarunt. Quæ spectacula ad hoc tempus cœlo Gallico & Regiæ ditioni ferè incognita, ex eo apud nos recepta non solùm rerum novarum materiam ambitiosis ingeniis præbuerunt, sed superveniente contemptu Regiam Majestatem non mediocriter labefactarunt. Dum igitur turbæ flagellantium se rex

immiſcet, ex ejus exemplo aulæ Proceres Carolus Cardinalis Lotharingus, qui ex eorum numero erat, ex frigore veſpertino in febrem violentam incidit, intentiſſimiſque capitis doloribus quos & deliria conſecuta ſunt, & pervigili malê vexatus, tandem biduo ante Chriſti natalem fatis conceſſit.

Illuſtriſſimus idem Thuanus lib. lxxviij. an. MDLXXXIII. decem annis elapſis narrat qua ratione Henricus III. ſodalitates diverſi coloris flagellantium inſtitui permiſit, relictis & poſtpoſitis Conſiliis Chriſtophori Thuani Senatuſprincipis, & Petri Brulardi Inquiſitoriarum claſſium præſidis

instigatione morosâ Patris Edmundi Augerii Societatis nominis Jesu Sacerdotis, & inductu Joannis Castelli Episcopi Ariminensis Nuncii Apostolici, & molli obsequio Regiæ voluntati Biragui Cancellarii & Chivernii Regiorum sigillorum custodis. Observat insuper hæc omnia cohibere non potuisse æstum ac fervorem concionatorum Parisiensium, quin insolentem ascesim flagellationum vehementer salibus satyricis ac lœdoriis in pulpitis defricarent: inter quos præsertìm nomen illustravit suum Mauricius Poncetus, Abbatiæ sancti Petri Melodunensis monachus,

Ordinis S. Benedicti, institutâ comparatione istiusmodi hominum se flagellantium per vicos & plateas, cum iis qui saccum linteum udum induant ne inundante pluviâ madefiant: adeòque in monasterium relegatus, in quo vota emiserat jussu Regis, exulavit. Narrat iterùm Thuanus, primam plagosorum pœnitentium supplicationem Parisiis, cui intererant Henricus III. Cancellarius Biragus, & sigilli custos Chivernius, factam fuisse ridentibus plerisque, aliis frementibus, & Deo, hominibusque per intempestiva spectacula illudi propalàm clamantibus.

Pater Edmumdus Augerius, cujus instigatione sodalitati vapulantium nomen dederat Henricus III. cui à confessionibus erat, ea tempestate scripsit librum sub titulo Metaneologiæ, quo ejusmodi flagellationes tuendas receperat. Hunc librum nervosè defendit alter Jesuita Jacobus Gretzerus. Illustrissimus Servinus in oratione quam habuit ad Senatum Parisiensem contra flagellantes Avarici Biturigum anno 1601. ait in gratiam ejusmodi disciplinæ non eundum esse in sententiam libri cujusdam hippocritæ sub titulo Metaneologiæ inscripti, quem specie pii pœnitentes

publici juris fecerunt anno 1584. ſed potiùs Tertulliani, ut ſuffundatur ſanguis non effundatur. Ut cumque res ſint, ex his dubitandi locus non relinquitur, Senatum Pariſienſem ſolitariam flagellandi ſeipſum inſulſitatem reprehendiſſe: quippè cùm in libro Edmundi Augerii ſub titulo Metaneologiæ præter hanc ſuperſtitionem nihil argui aut condemnari poſſe videatur.



Caput X.

Flagella super humeros periculosa. Nascuntur ab iis profluvia & ægritudines oculorum: magis tamen adversa & noxia super lumbos & femora rationibus physicis demonstrantur. Seipsum flagellare super nates obscænum & turpissimum, tàm viris quàm mulieribus.

I. EX rerum physicarum studiis intelligimus, omnes corporis humani nervos ex cerebro suam originem ducere, ope medullæ cujusdam, in vertebrarum canalem ceû tubum effluentis, ex quibus spina dorsi pectinatìm compacta est. Diversis insuper vertebrarum spiris vi-

demus ramos nervorum ad reliquas traduci corporis partes, qui ex trunco ceû caudice erumpunt. Obſervaverunt anatomici, eſſe quandam nervorum conjugationem quæ poſt quintam vertebram incidit: ſeque in humeros immiſcet & abſcondit: inſuper verò proximis utrinquè ſe attexit, & tenues de ſe villos in ſigulas cervicis vertebras emittit. Omnes hi nervi in humeros ſeſe immittunt, ibique ſenſationibus conducibiles efficiunt. Quatuor muſculos velut acu demonſtrant anotomici, qui nervorum ope omnes humerorum motus efformant; vo-

cantque Serratum, Trapesium, Romboïdem, & Levatorem. Ut verò nervi atque musculi suo fungantur officio, continuò explentur spiritibus vitalibus qui è cerebro per nervos in reliqua corporis membra diffluunt, ac vim quasi tensilem naturæ collocant ad operationes sensuum. Cùm igitur spiritus vitales verberibus ac vibicibus impressis disturbentur ac dissipentur, opus est in cerebrum à quo nascuntur sursùm revelli, aut prorsus dissipari. Quæ cùm ita sint nervi optici truncum aut ramos dextrum ac sinistrum tot accessionibus onerant aut pe-

Thom. Barthol. lib. IV. anat. reformata, cap. 30.

nuriâ afficiunt, ut oculos debilitate aut ægritudine laborare necesse sit. His rationibus dubius stans nisu in medio flagri super humeros an super nates recipiendi, Jacobus Gretzerus clarissimum quemdam & experientissimum medicum putavit consulendum, qui ad quæstionem sibi propositam hunc in modum respondit teste Gretzero lib. 2. de Disciplinis cap. ix. pag. 149. edit. Ingolstadii anni 1606. *Vulgaris illa persuasio, quòd flagellorum ictus dorso incussi oculis officiant nulla probabilitate nititur. Nimia perfusio sanguinis obest, illa quidem cerebro, ita & oculis quos*

aliqui germina cerebri appellant; idque imminuendo calorem nativum spiritus. At tantum sanguinis hic non funditur ut depauperari calore suo cerebrum videri possit: immoverò si quam plurimis oculorum morbis tùm arcendis tùm percurandis scarificationes dorsi prodesse minimè cernimus, cur à flagris istis noxam aliquam verebimur? Solis igitur silicerniis, & iis qui extrema propè caloris naturalis penuriâ laborant flagella hæc obfuerunt: neque funiculorum illorum incussio quæ dorsum citra sanguinem rubefacit, tam impetuosa est, ut ex ea detrimenti quippiam sit metuendum. Hæc præstans il-

le medicus addit, secum reputans Gretzerus, *ad cujus sententiam meam libens volensque adjungo*. Sed utcumque res sit, hanc observationem physicam confirmavit experientia frequens & minimè fallax. Quippècùm eâ de causâ Capucini, multæque Moniales virorum medicorum ac piorum hominum consilio, ascesim flagellandi sursùm humeros reliquerint, ut sibi nates lumbosque strient asperatis virgis, ac nodosis funiculis conscribillent. Sed cavendum est maximè ne dum vitium vitant, parum sapienter in contrarium currant, & in Scyllam

incidant cupientes vitare Charybdim. Iſta quippè methodus flagellandi lumbos femorales tantò periculoſior videtur, quantò morbi animi perniciosiores ſunt morbis corporis. Enimverò cum lumbi ad tres muſculos exteriores natium ſe extendant, qui Glutæi dicti ſunt, ſcilicet, ut obſervant anatomici, magnum & parvulum; treſque ſint interiores ſivè unus triceps vocatus, ob triplex initium à commiſſurâ oſſis pubis, ab imâ & ab ejus oſſis mediâ parte, neceſſe eſt cùm muſculi lumbares virgis aut flagellis diverberantur, ſpiritus vitales revelli, in cen-

trum oſſis pubis refundi continuis vibicibus, adeoque ſalaces motus ob viciniam partium genitalium & teſtium excitari: qui venereis imaginibus ac illecebris cerebrum mentemque faſcinant, ac virtutem caſtitatis ad extremas anguſtias redigunt. Quin ita ſe naturæ res habeant non dubitandum eſt: ſi quidem præter venas adipoſes, ſpermaticas & emulgentes, duæ ſunt adhuc venæ lumbares dictæ inter vertebras utrinquè ad latus ſpinalis medullæ, unde portio materiæ ſeminalis à cerebro defertur. Hæc enim materia vi verberum calefacta, in partes genitales præceps

ruitura, pruriginem excitabit, & per impetum in os pubis cujus in medio viri & mulieris τὰ αἰδοῖα natura collocavit, ad vagam venerem instigabit.

II. Ejuſmodi obſervationes phyſicas quibus naturæ intus latitantis clauſtra pandunt medici, mirabiliter confirmat experientia. Quippè cùm exempla non deſint innumerabilia ex quibus intelligere facilè eſt multos homines adeo ſalacis temperamenti extitiſſe, ut numquam majori voluptate poſtpoſitis doloribus, ex flagro inflicto mentem expleverint, & carnem inebriaverint, quàm cùm

flagellis aut ſcuticis, virgiſque betuleis de ſuo corio immaniter & crudeliter luſiſſe viſi ſunt. Exſcribam cum fide & curâ ex libris exempla, eaque lectoribus æquis quanta ſint meditatione ac cogitatione reputanda relinquam.

Cælius Rodiginus tom. 2. antiquarum lectionum libro xj. cap. xv. edit. Lugd. in 8°. apud hæredes Jacobi Juntæ anni M. DLX. hanc hiſtoriam refert: *Non multis abhinc annis vixiſſe quemdam in veneriis non gallinaceæ ſalacitatis, verùm ingenii ſtupendi maximè, quodque vix impetret fidem ex adjuratiſſimis compertum eſt: qui quò pluribus affe-*

ctus eſſet plagis, eò impetuoſius ardentiuſque in concubitum ferebatur præceps: fuit omninò mira res neſcires utrum affectaret avidius verbera an coitum, niſi quod illorum menſu voluptas conſtabat. Proinde extenſis ſe precibus diſſlagellari expoſcebat. Pridie quàm id pateretur flagello aceti aſperitate obdurato quod ſi converberator lentiùs agere foret viſus, lentè extimulante rabie convitiis inceſſebat, nec factum ſibi, ſatis arbitrabatur, niſi inter cædendum ſanguis ſe ſe oſtendiſſet. Unus mortalium opinor inventus qui eodem impetu in ſupplicium ferretur ac delicias, quippè inter tormenta ſenſuum titillationes ac æſtuan-

tem pruritum vel expleret vel incenderet. Quodque nec mirum minus est, non làtebat hominem flagitii inusitata species, seque in eo execrabatur, ac sibi ipsi erat infestus. Cæterum consuetudine depravatâ amplius prævaluisse utebatur vitio & improbabat. Irroborarat verò ea radices quæ egerat altius, quod ità foret assuetus puer communicatâ stupri fœditate inter æquales plagarum allectatione.

Otho Brunsfelsius, Onomastici medici verbo *coïtus*: narrat apud Monachium Bavariæ Ducum sedem suo tempore vixisse quemdam hominem, & cum uxore res mariti

agere nequivisse, nisi acriter antea flagris concisum.

Meugbus Faventicus practic. parte II. cap. de passionibus membrorum genitalium ait, languentem ac sopitam venerem excitari, & brevitatem virgæ, si sterilitas ejus metuatur, emendari urticarum viridium in inguina incussibus.

Joannes Henricus Meibonius in Epistolâ ad Christianum Cassium Episcopi Lubecensis & Holsatiæ Ducis Cancellarium de usu flagrorum in re venereâ pag. 44. & 45. edit. Francofurt. anno 1670. sic ait: *addo exemplum quod dum Lubecæ hic contigit. Civis*

quidam Lubecensis butyri & caseorum propola in plateâ habitans, quæ à molendinis nomen invenit, præter alia facinora ob commissum adulterium, ad Magistratum delatus, causâque cognitâ urbe excedere & solum vertere jussus, meretricula cui is assueverat coram Senatoribus judicio criminali præfectis confessa est, numquam illum acrius quam virgis prius secundum dorsum abs se difflagellatum arrexisse, & virum se præstitisse. Officio verò peracto nisi denuò flagris cæsum vix quidquam patrare potuisse adulter ipse idem quidem primo negare: seriò tamen & severè interrogatus non inficias ire. Testes do ipsius

ipſius judicii criminalis id temporis ſenatus nomine præfectos Thomam Norvingium & Adrianum Molerum amicos meos etiamnùm ut noſti, ſuperſtites. Et pag. 46. *Pauci inſuper ſunt anni cùm primariâ in confœderati Belgii urbe vir in non parvâ dignitate conſtitutus, venerique admodum deditus deprehenſus fuit cum muliercula quadam conſueviſſe, cum quâ tamen niſi flagellorum ictibus excitatus vix aliquid patrare potuerit.*

Sed utcumque res ſint, quid turpius excogitari poteſt homini, ſivè viro ſivè fœminæ, quàm lumbis & femoribus ad radios ſolis apertis ſeipſum diverberare? Simplex rei tam

obſcœnæ cogitatio inſulſam & ridiculam reddit. Omne malum, inquit Tertullianus, aut pudore aut timore natura perfudit: adeoque rei, ſcelerumque conſcii homines latebras quærunt & effugia. Quis verò in edito & aperto loco, plenis comitiis, in conſpectu hominum, lumbos nateſque virgis cædere non pertimeſcat? quis de ſuo corio ità ludere audeat? Nullus ergo dubitandi locus relinquitur, quìn flagellationes ejuſmodi malæ ſint, adeò timore & pudore à naturâ perfuſæ. Antiquis regulis vetitum erat monachis, ne ſui corporis nudatas partes ullatenus reſpi-

Apologet.

cerent; at vero quî fieri poteſt ut monialis aut monachus qui ut ſe ſe commodiùs ac laxis habenis flagellent omnem lumborum paropidem extollunt, & uſque ad renes præcingunt, femora ac fœmina detegunt, nullam ſuæ carnis partem nudatam conſpiciant? Sanctus Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Letoyum laudat inſtitutam conſuetudinem mandandi poſt mortem cadavera terræ, ne ſoli oſtenderetur quod dedecus erat humanæ naturæ ὡς μὴ ἀναδειχθῆναι ἡλίῳ τὴν ἀσχημοσύνην τῆς φύσεως. Numquid non verò magis probroſum ac turpe eſt, in ſtatu natu-

ræ corruptæ, ſoli oſtendere lumbos & femora juvenilia excellenti formâ, quamvìs religionis honeſtate conſecrata, quàm triſte pallidumque cadaver? Primi parentes an alios oculos niſi Dei pertimeſcendos habuerunt: cùm primùm ſuam ſenſerunt nuditatem, cùm primulùm eos pudor occupavit, verecundia invaſit? Cùm, ut inquit ſanctus Auguſtinus lib. xj. de Geneſi ad litteram cap. xxxiv. pag. 272. tom. 3. *Amicitia Dei pudorem onerabat poſt peccatum quæ fiduciam dabat ante peccatum, nec jam illam nuditatem audebant oſtendere oculis quæ diſplicebat.* Qui tàm frequenter

lumbos & femora ad vibices & flagella retegunt, quamvìs ante unius Dei oculos explicent, voluntatem non vehementer aggregasse videntur, ad repudiandam hanc S. Augustini sententiam, nec ad ea quæ passim in tantulo opere exposuimus. Legant igitur quotquot sunt in Ecclesiâ Christianâ & Republicâ literariâ proceres, ac judices integri. Confido enim ex his omnibus ab iis intellectum iri faciliter, usum flagellandi deorsùm seipsum, ferè semper esse non solùm insolens, novum, & supervacaneum, verùm etiàm perversum, probrosum & turpissimum.

FINIS.



Flagellum equo & camus asino, & virga in dorso imprudentium.

Prov. xxvj. ℣. 3.

INDEX

Auctorum & virorum illuſtrium, qui in hac Hiſtoriâ laudantur, citantur, probantur vel refelluntur.

P iiij

B

C

H

L

M

P

Q

R

T

V

SUMMA PRIVILEGII Christianissimi Regis.

CAutum est auctoritate Regis, ne quis in regno suo, aliisve locis suæ ditioni subjectis intra decem annos proximos *Historiam flagellantium*, absque Joannis Anisson Typographiæ Regiæ præfecti permissu imprimat aut divendat, à die publicationis horum exemplarium: qui secùs fecerit mulctâ indictâ, prout amplius in diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Parisiis die 22. Augusti 1699. Regni 57.


Signatum, de mandato Regis,

DUGOSNO.

Descriptum in Registro Typographorum & Bibliopolarum. Parisiis die 29a. Decembris 1699.

Signatum, C. BALLARD. Scindicus.




ROMA